


GENEALOGIA IESV CHRISTI RE- DEMPTORIS NOSTRI SECUNDVM MATTHEVM, accuratissimè explicata.

cui adiectæ sunt Morales quedam Synopses siue
contitus, in usum concionatorum.

Accessit etiam commentariolus, in caput secun-
dum de aduentu Magorum eiusdē D. Matthæi,
cum cisdem synopsibus siue conside-
rationibus moralibus.

Autore fratre Stephano de Salazar, monacho
Cartusiano, sacre Thcolo. Doctore.

DVRARE, MORI,



ET NON PERIRE.



LUGDVNI,

APVD CAROLVM PESNOT.

M. D. LXXXIII.

Cum priuilegio.

7-164

Regis Catholici priuilegium.

EL REY.

PO R quanto por parte de vos Don Esteuan de Salazar monge de la Orden de la Cartuxa , Prior de la casa y conuento que de la dicha Orden ay iunto a Xerez de la Frontera, Doctor en sancta Theologia : nos fue hecha relacion diciendo. Que vos auiaades compuesto vn libro, intitulado. *Genealogia Iesu Christi*; secundum Matheum. En el qual auiaades puesto muncho trabajo y cuidado , y no contenia cosa contra nuestra sancta fe Catholica, y seria muy en prouecho de nuestros Reyes nos imprimille , por ser obra muy prouechosa y necessaria. Y nos supplicauades, vos mandassemos dar licencia , para que vos , y no otra persona alguna, pudiesedes imprimir el dicho libro , y priuilegio por veinte annos , o como la nuestra merced fuese. Lo qual visto por los de nuestro consejo, por quanto en el dicho libro se hizo la diligencia que la pragmática por nos ahora nueuamente sobre ella hecha dispone. Fue acordado que deuiamos mandar dar esta nuestra cedula en la dicha razon, y nos tuuimos lo por bien. Por la qual vos damos licencia y facultad, para que vos , o la persona

que para ello vuestro poder tuuiere, y no otra persona alguna , podais hazer imprimir el dicho libro que de suso se haze mencion , en estos nuestros Reinos de Castilla , por espacio de diez annos cumplidos , primeros siguientes. Que corren y sequentan , desde el dia de la data desta nuestra cedula en adelante. So pena que la persona o personas , que sin tener para ello vuestro poder, le imprimiere, o vendiere, o hiziere imprimir , o vender : pierda toda la impression que hiziere y vendiere , con los moldes y apatejos della. Y mas incurra en pena de cincuenta mil marauedis , por cada uez que lo contrario hiziere. La qual dicha pena. Sea la tercia parte para el juez que lo sentenciare, y la otra tercia parte para la nuestra Camara : y la otra tercia parte , para el que lo denunciare. Y mandamos alos de nuestro Confejo, Presidentes, Oydores de las nuestras Audiencias, Alcades, Alguaziles, de la nuestra casa y Corte, y Chancillerias , y a todos los Corregidores , Asistentes , Gouernadores , Alcaldes mayores y ordinarios : e otros juezes y justicias qualesquier, de todas las Ciudades, Villas, y Lugares de los nuestros Reynos y Sénorios, así alos que ahora son , como alos que seran de aqui adelante : osguarden y cumplan esta nuestra cedula y merced que así vos hazemos. Y contra el tenor y forma della , ni de lo en ella contenido, no vayan ni passen; ni consientan ir ni passar en manera alguna , so pena de

la

la nuestra mercedy , de diez mil marauedis pa
rala nuestra Camara. Dada en Madrida 22.
dias del mes de Enero 1584.

Y O E L R E Y.

Por mandado de su Mag.

Antonio de Erasso.

Vallejo.

* 3

Libelli huius approbatio.


EX decreto supremi Senatus Regij, ex-
pendimus hanc Christi genealogiam,
& visus est nobis liber pius atque Ca-
tholicus, & varia eruditione refertus. Madriti
in collegio nostro Societatis Iesu die 12. Octobris
1583.

Castro.

Licentia Reverendissimi Patris, literis ad autorem datis inserta.

ET ut commodiùs sacrarum lite-
rarum studiis incumbas, conce-
dimus tibi facultatem, ut quæ à
te sunt hactenùs elaborata volumina,
aut quæ in posterum Christi fauore &
gratia à te pariter elucubrabuntur: ubi
oportunum fuerit, publicentur. Cartu-
siæ 16. Septembris 1578.

Bernardus. Prior Cartusiæ.



ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

PRINCIPI D. D. GASPARI

à Quiroga, sanctæ Romanæ ecclæ-

siæ Presbytero Cardinali, Archiepiscopo

Toletano, Hispaniarum Prima-

ti, Supremo rerum fidei censori & In-

quisitori, Archicancelatio Castiliæ,

& Regi Catholico ab intimis Status

consiliis &c. Viro Optimo & erudi-

tissimo: Fr. Stephanus de Salazarmo-

nachus Cartusianus, Parem tantis ti-

tulis pietatem, & vitam æternam.

SATIS compertum
habeo (Princeps opti-
me & pientissime) no-
minis tui claritati,
meis scriptis nihil lucis posse con-
ferri: verum contra egregia mihi
laudi, & summa gloria apud bo-

Epist.dedicatoria.

Nos omnes & aquos rerum estimatores futurum, quod tuo favore fatus, non dubitem lucubrationes nostras nomini tuo clarissimo consecrare. Feci id quidem non ita pridem cum fænore. Nam cum cathechismum viginti discursibus comprehensum, materna lingua sub Amplitudinis tua illustrissime patrocinio in lucem dedisse: nominis tui reverentia tanto illum favore & alacritate exceptit Hispania, ut vix cudento & recudendo, exemplaria querentibus sufficiente. Nunc verò in Galliam ad comitia generalia profectus, cum almam & sacram Cartusiam peruenisse totius religionis nostra Principem atque parentem: literis illustrissima D.T.

mihi

Epist.dedicatoria.

mibi ibi redditis, intellexi plā-
nē quantum Cartusia tibi de-
beat, & quām ex animo & effusē
illifaureas. Quapropter tempera-
re non potui, quin pro eximijs
tuis erga ordinem nostrum meri-
tis & beneficijs, communi nomine
illustriſſimae D.T. gratias agerem
immortales: edito in reditu nostro
in Hispaniam Lugduni, & no-
mini tuo ampliſſimo dicato hoc li-
bello, quem ſub profectionem no-
ſram in Galliam, ē Dcadritō
Barchinonem, approbatum pro-
fectō, & Catholici Regis priuile-
gio munitum amici miserant.
Quem non voluminis magnitu-
dine, ſed argumenti grauitate &
offerentis affectu C.T. probatum
iri confidimus. Nec ingratum tibi

Epist. dedicatoria.

futurum arbitror, si paucis vitā
E^g institutum incolarum Cartu-
sia exposuero, ut dignos eos procul
dubio illustrissima D^r. T. fauore
omnes intelligant. Habitant pē-
nitissimam alpium Sabaudicarū
solitudinem, usque adeò gelu rigē-
tem E^g perpetuis niuibus obductā
ut decantata illa nimium, E^g an-
tiqua Sanctorum Ascatarum
Scytis pra hac eramo: pro tempe-
ratissima E^g amēna regione ha-
beri possit. Vestis etiam intima
illis ex sacco, dira subtus ad car-
men cilicia, victus tenuis, panis
cibarius ex silagine. Somnus mo-
dicus, vigilia immensa, E^g qua so-
lennioribus diebus ad horas qua-
tuor cātando protrahantur. Quid
agam de continentia, in tanta vi-

Epist. d'edicatoria.

ta parsimonia & sobrietate? Obedientia illis prompta, paupertas verè voluntaria. Nam cùm multa domus opulenta, & copiosa alia matris Cartusie extremam fermè inopiam, & rei familiaris angustiam, suis voluerint opibus subleuare: maluit ipsa tamen studiò antiquam paupertatem retinere, & tenuem atque exiguum censum iure hereditario sibi à suis maioribus per manus traditum, religiose conseruare. Oratio illis frequens & assidua, altissimum in clauistro silentium, mira in vultibus illorum alacritas & pulchritudo, incredibilis abiectio & humilitas: etsi multi sint summo loco nati, & plerique non vulgari ingenio & eruditione praditi. Ardentif

Epist.dedicatoria.

dentissima illis erga Deum & proximos charitas. Nam quò Deo intimius per amorem uniuntur, eò magis inter sese inuicem dilectionis vinculo copulantur. Ut eleganter à D.Dorotheo Archimandrita in Parenasi scriptum est. Chorum hunc dicit admirabilis quidam & diuinus senex nomine Bernardus, cognomine Carrassus, patria Tarbesis, aetate octogenarius, ardore pietatis sic incēsus: ut cum tot domestica administrationis, & totius Rei publicæ Cartusiana negotijs obruatur, non die non nocte ab actibus conuentualibus absit, perinde ac modo in anno probationis & ordinis tyrocinio versaretur. Non victu, nō vestitu, sed indefesso labore

Epist.dedicatoria.

bore, animi tranquillitate, mode-
stia, iustitia, aequitate: ceteris
qua Principe dignis virtutibus
omnibus pralucens. Quid dicam
de fidei zelo integritate atque
constantia? Cartusiā ab hereticis
incensam & penè in cineres reda-
ctam, restaurauit, extruxit, refe-
xit, auxit, coluit: ne propugnacu-
lum illud Ecclesia & munitissimā
in ipso hereticorum collimitio
arcem, videretur vera religionis
hostibus prodere. Succenturiantur
huic viro clarissimo viri duo alij
excellentes & egregij, qui ad recte
rationis libellam omnia componi
curant, Deum tantummodo pra
oculis habentes: quorum nomini-
bus ob insignē eorum pudorem &
humilitatem parcimus. His pra-
ficijs

Epist. dedicatoria.

fidijs adeò religio, pietas, rerum
visibilium & temporalium negle-
ctus, propria volūtatis abnegatio
& resignatio, animi à rerum om-
nium transeuntium & interiu-
rarum umbris abdicatio, & reli-
qua virtutes in maiori Cartusia
floruerūt: ut quicunque eam vi-
derint, iure testentur, nullum esse
in Ecclesia Catholica monasteriū,
in quo hac etate magis vigeant
disciplina & obseruantia regula-
ris. Quo fit, ut cum ex lapsu &
ruina monasteriorum qua suis or-
dinibus erāt capita, Ordines mo-
nachales labefactati sint atque
corrupti: sola Cartusia steterit pri-
mis Patrum suorum institutis &
passibus insīstens. Ut membra
quedam collapsa forsan & debi-

Epist.dedicatoria.

litata reperiri queant, ceterum
caput minimè languidū, & cor
minimè mærens, sed validum, fi-
ducia & alacritate plenū. Qua-
propter nullū futurum spero, tam
iniquum rerum estimatorem &
Iudicē, qui Cartusia his moribus
viuēti, Ordinis Principatum in-
uideat: & non potius fateatur in-
genue, sicut loco & dignitate, sic
merito & pietate, uniuersas alias
eiusdem instituti domos superare
& antecellere. Talis est Cartusia
(Princeps illustrissime) quā C.T.
Optamus esse commendatissi-
mam. Tuum erit, uti cœpisti, eam
pro singulari tua humanitate &
equitate in posterum quoque
tueri & ornare: nostrum vero af-
fiduis & ardentissimis precibus


Dcum

Epist.dedicatoria.

Deum Opti. Maxi. rogare, ut il-
lustriſſimam. D. T. Ecclesia ſua,
ſancta diu ſeruet fælicem & inco-
lumem. Lugduni ex ſacro di-
ui Franciſci cœnobio, ~~—~~

20. Maij.

1584.



GENEALOGIA
CHRISTI IESV
SERVATORIS NOSTRI,
secundūm Matthæum.



LIBER PRIMVS.

Evangeliū.

V A N G E L I V M , Græca Suidas in
vox est: quæ (ut clarissimi verbo E-
eius linguae Professores uangeliū.
testantur) bonū, faustum Et Bu-
& optatum nuntium d̄cus in
significat: quale reportata insigni aliquā
ab hostibus victoria, Imperatores suis
Rebus publicis renuntiare sunt soliti. annota-
tione, Pā
dec̄tarū:
in titulū
de officio
pr̄fecti
pr̄etorio.

Significat pr̄tercā supplicationes,
& sacrificia: quæ pro rebus prosperè ge-
ftis, & iucundo ac fœlici nuntio susce-
pto, numini decernuntur. Explicat pr̄te-
rcā mercedem, strenas, & pr̄emia: quæ

A

fausta, ac fœlicia nūtiantibus reddi solent: & Hispanicè, *Albricias* appellamus.
 Qua Græcæ vocis significatione, vñi sunt Cicero ad Atticum : & Vlpianus in l. falsus. §. qui alienum. ff. de furtis. Sunt qui tradant, Scriptores Ecclesiasticos ea voce, Hebraicum בְּשׁוֹרָה *Bbefforah*. à radice בְּשַׁר *bassar*. id est nuntiavit, euangelizauit, &c. exprimere voluisse. *Bbefforah* enim, publicam rei per optatæ, & vehementer, ac diu expectatae, renuntiationem significat: cui renuntiationi, & nuntio, egregia merces proposita, & opulentissimum præmium paratum fit. Nam 2. Reg. 4. quo loci nos legimus, Cui oportebat me mercedem dare pro nuntio: Hæbraica habent, *Aser lethithi lobbesorah*, Vbi vnica vox Hebræa *Bbefforah*, complectitur totum illud: mercedem pro nuntio. Et eodem libro c. 18. vbinos legimus, Nō eris boni nūtij baiulus: Hebraica habent, *Vlechah enbbesorahmozeth* Quo loci, *Bbefforah* nūtiū vtile, & quod habeat paratum emolumenitum, significat. Observandum præterea, verbū illud, *Basar*, quod nuntiare fausta, atque fœlicia significat: & quod septuaginta interpretes, linguae sanctæ peritis

peritissimi, nunquam nō in *euāγγελίον*
 trāsferunt: à quo vox *Bbeforah*, dūcta est:
 duci à nomine *בָשָׂר* *Bbasar*: quo carnem,
 carneum homines, & propinquos He-
 bræi significat: & à quo trahitur etiam
 vox *בָשָׂר* *Bbeffur*, id est incarnatio: Ut
 eo ipso vocabulo, quo illi, veluti in ty-
 po, Euangeliū adumbrabant, ad diui-
 næ incarnationis sacramentum allude-
 rent: & archanissimè explicarent, non
 aliud fœlix, faustumque nuntium habi-
 turum vñquā genus humanum, quām
 id, quo Verbum caro factum, & Deum
 naturam humanam propter nostrā sa-
 lutem, & propter nos homines suscep-
 se, nuntiaretur: quos sibi iam in pecu-
 lium, & in cognitionem asciscere desti-
 nabat. Hæc fuit optatissima quondam,
 piorum hominum expectatio: quā iam
 à Deo optimo maximo re ipsa exhibitā,
 atque completam, renuntiat Euange-
 lium.

Quadrant etiam mirificè res, Græca
 Euangelij voce significatæ, Christianæ
 professioni, & Philosophiæ. Christi si-
 quidem Euangeliū, publico præco-
 nio mortalibus proponit, atque renun-
 tiat insignem illam victoriam, & splen-

didissimum triumphum, quem Christus Iesus Redemptor noster, humanitate assumpta, de truculētissimis humanigenis hostibus, peccato, morte, & Sathanae erigerit, atque retulerit: & memorabile illud expiationis Sacrificium. tot victimis, & ceremoniis, antiquitus adumbratum, quod viator Christus æterno Patri in Cruce obtulit: constituens posteris iuge sui corporis, & sanguinis holocaustum: quod illi, in gratiarū actione pro victoria adepta, & in victoris memoriā, & propriā salutem eidem Patri perpetuò offerrent. Interest verò quamplurimū inter sublimem hanc, & diuinam prorsū nūtiationem, & cæteras. Nam Duces, Imperatores, & Reges, deuictis, triumphatisque hostibus, victoriæ nuntium viris, ac vrbibus suarum ditionum, & Rerum publicarum Principibus mittunt: illæque, supplicationes, vota, ac sacrificia, pro victoria adepta decernunt, atque suscipiunt: & Euangelia, hoc est, strenas, & amplissima præmia, optatum nuntium ferentibus reddūt. At Christus Iesus Seruator noster, verus Christianæ militiæ Princeps, & Imperator, cum singularicertamine,

mine; & suo Marte infestissimos humani generis hostes excidisset, sequissimam illorum tyrannidem suo benedicto sanguine funditus euertēs: ipse qui Imperator, & Dux noster est: & clarissimam victoriam de mundo, peccato, & Satana, suis viribus & auspiciis reportauit: eam primus omnium pauperibus nuntiat, à quibus nullam mercedē, aut strennas pro faustissimo, & optatissimo nuntio recipiat: verūm contrā, immensas illis opes, pro suscepto victoriæ suæ nuntio, magnificentissimè cōferat: scilicet, Spiritus sancti primitias, Apostolici munieris dignitatem, atque functionem, omnium linguarum peritiam, Euāgelicæ prædicationis gloriā, atque successum, & mortem martyrij laurea fœlicem. Et quod multò est mirabilius: Seipsum obtulit in sacrificium gratiarum actionis, & in holocaustum. Huc profectò pertinebant verba illa Isaię, quæ ab ipso Domino, in doctorum corona lecta sunt.

Spiritus Domini super me, eò quòd unxerit me: euangelizare pauperibus misit me. Et illud alterum. Ite, & renuntiate Ioanni quæ audistis, & vidistis. Cæcivident, claudi ambulat, leprosi mundantur, mortui resurgunt:

& (quod vltimo loco, perinde ac omniū facinorum suorum maximum, collocauit) pauperes euangelizantur : hoc est, recipiunt fœlicem, ac faustum Euangelij nātiationem : quam æternus Pater, non Judaicæ gentis Magistratibus, atque Proceribus, nec mudi Principibus, sed pauperibus voluit renuntiari: id est, his qui suæ imbecillitatis sibi sunt conscij, & diuinis præfidiis nituntur, & fidunt. Hos enim in his locis, diuinæ litteræ pauperes appellant.

3 Nos ergò Euangelij nomine, non solum aut res à Christo in carne gestas intelligimus, aut cœlestes tantum promissiones de peccatorum remissione, de redditu in gratiam cum Deo Patre, & gloria adepta per Christum : verum leges etiam ab eo latas, consilia quoque, ac Sacra menta : quorum usus homini Christiano, cum fide, spe, & charitate, & cæteris virtutibus, necessarius est ad salutem consequēdam. Quapropter eleganter à Paulo Roma. i. vocatum est, virtus Dei, in salutem omni credenti.

4 Eleganter verò Paulus cùm compertum haberet, suspectā esse viris prudentibus doctrinę nouitatem, suspectas pariter,

pariter, & vanas reputari rerum nouarum nuntiationes: Roma. i. cūm præmisisset splendidissima illa verba, quæ amplissimam sui Apostolatus dignitatem vehementer commendabant.

(*Paulus seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus segregatus in Euangelium Dei*) inteligeretque nonnihil nouitatis præseferre Euangelij nomen: per elegantissimam subiectionem, & Antipophoram, tacitæ huic obiectioni occurrit, dicens.

Quod antè promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis, de filio suo: qui factus est ei ex semine Dauid, secundum carnem &c.) Hoc est:

Nemo existimet, nouos merumores serere nam & eum, Seminiuerbium Epicurei Athenis vocauerunt, & nouorum Dæmoniorum præconem) aut nouam aliquam doctrinam afferre, quam haud à grauibus auctoribus hauserim, & dignis, quibus fides habeatur. Renuntio quippe mundo, Christi Euangeliū: quo aduentus Dei in carnem, redemptio generis humani per eius dirissimā mortem, & sanguinem, ex antiqua mortis, & peccati seruitute, & multa alia fœlicia, & salutaria mortalibus continentur: re quidem nuper exhibita, noua, atque

recentia; promissione verò, vetustissima.
 Nam iam olim hæc à Deo optimo maximo sunt pollicita, atque promissa, & suorum Prophetarum Oraculis ac vaticiniis explicata, atque prædicta. *Quod antè (inquit) promiserat per Prophetas suos, in scripturis sanctis, &c.* Eandemque fidem renuntio, quæ olim fuit in sanctis Patribus. Iustitia enim Dei in Euangeliō, reuelatur ex fide in fidem: hoc est, (interprete Augustino in lib. de spiritu & litera) ex fide præcedentium Patrum, in fidem subsequentium filiorum. Euangeliū námque (vt Irenæus auctor est) iungit ultima primis: eādēmque tradit fidem, quæ olim fuerat ante Circuncisionem in Abraham, & post Circuncisionem, & Legem, in sanctis Patribus.

5 Vocatur verò Euangeliū, Lex noua, & mandatum nouum, per Metonymiam: causa, effectus nomen induente: scilicet, quia facit credentem, & obsequenter, nouum hominem, & nouam creaturam. Sicut mors, pallida ab effectu dici solet, quod reddat homines pallidos. Quò fit, vt aptissimè à 7. Ioan. 2: Ioanne Euangeliū, (quo potissimum Chari-

Irenæus
libro. 4.
c. 42.

Charitatis præceptum commendatum
est) mandatum vetus, & nouum appellatum fit.

Liber generationis, &c.

Libri nomine frequentius diuinæ li- Liber He
teræ significant id quod nos vulgo braicè di
librūm, codicémque appellamus. Expli citur לִפְשׁ
cant prætereà eo nomine Job. 31. causæ cephēra-
litigiosæ prosecutionem, publicis literis dice לְפָשׁ
comprehensam. *Et librum* (inquit) scribat, saphar. 1.
ipse qui iudicat. Quarto lib. Reg. 5. Episto- re &c.
las. Naum. 1. vaticinationem, siue Pro- vnde se-
phetiam. Exod. 32. Psalm. 39. & 68. & pher. 1. li-
138. Daniel. 2. Philip. 4. Apocalyp. 3. & 10. mnem
& 21. diuinam prædestinationem, atque scriptu-
notitiam: qua firmiter Deus tenet, se ram & e-
quosdam præelegisse, & destinasse, in narratio-
vitam æternam. Quam præcognitionē, nem.
& notitiam, nunc absolutè librum: nūc Hispani-
cum adiectione, librum vitæ appellant. ce Proces.
Vsurgent pariter eam vocem, pro pu-
blico instrumento emptionis, venditio-
nis, & possessionis. Hiere. 32. Et pro enu-
meratione, serie, & catalogo. Gen. 15.
Quò fit, vt plerique hunc locum sic in-
terpretentur. Liber generationis Iesu
Christi

Christi, id est, enumeratio, series, siue catalogus eorum, à quibus Christus, secundum carnem originē duxit. Quāquam probabilius sit multò, librum hoc loco pro codice, & libro (vt vulgò solet) usurpari. Nam generationis nomen (vt confessim dicemus) pro Historia, & rebus gestis, archanis in literis accipi solet: vt sensus sit. Hic est liber rerum gestarum, siue Historia, Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham. &c.

2. Obseruandum est præterea à hoc loco, homines, ad consequendam fœlicitatem conditos, duobus maximè titulis nisi. Alter ad diuinam prædestinationem, & voluntatem pertinet: cuius non datur causa: quæ est libervitæ. Quò pertinent verba illa Pauli. secundo ad Timotheum. 2. *Firmum fundamentum Dei stat: habemus signaculum hoc. Nouis Dominus qui sunt eius.* Alter ad diuinam, & inenarrabilem Christi charitatem: qui propter nos homines, & propter nostrā salutem, descendit de cælis: & homo factus est. Quò pertinent verba illa Pauli Ephesio. 2. *Eramus natura filii iræ, sicut cæteri.* Deus autem (quidiuies est in misericordia) propter nimiam charitatem

tem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo (cuius gratia estis saluati) & cōresuscitauit, & confedere fecit in cœlestibus, in Christo Iesu &c. His ergò duo bus ~~stirulis~~ ius regni cœlestis, & hæreditatis æternæ obtainemus. Si verò importunè exigas publica instrumenta patrimonij huius excelsi, sempiternèque hæreditatis, atque primogenituræ: duo exhibemus fidelissima, & authētica. Foundationis alterum, quod est liber vitæ. Nouit enim Dominus, quis sunt eius. Et, quos præsciuit, hos & prædestinavit, cōformes fieri imaginis filij sui &c. Possessionis alterum: quod est, Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham: &c. Nam eam ob causam, Verbum caro factum est: ut filij Dei nominemur, & simus. Non ergò abs rediūnæ literæ æternam prædestinationem, & publica emptionis, & venditionis instrumenta, libri nomine appellari voluerunt.

3. 3: Docet insuper hic locus, quantum distet liber hic, quo mortales in libertatem afferuntur, ab eo, de quo Gen. 5. scriptū est, *Liber generationis Adam* &c.

Primus

Primus siquidem homo , deterra , terrenus : secundus homo , de cœlo cœlestis . Qualis terrenus , tales & terreni . Quales cœlestis , tales & cœlestes .

Generationis Jesu Christi

Generationis nomen diuinis in literis, aliquando pro seculo, ætate, & hominis duratione usurpatum: quæ omnia Hebræi voce, *Dor*, דָּוֶר cōpleteuntur, à radice, *Dur*, דָּוֶר id est habitare, peregrinari &c. Gene. 15. Deut. 32. Psalm. 13. Ecclesiast. 1. Isai. 38. & 53. Aliquando pro eo, quod est generare, aut esse genitum, aut natum: ut generatio , nihil sit aliud, quam natiuitas, origo , & productio aeterna , aut passiva. **Quod** Hebræi vocula תְּוִלְדָּת Tholdath, exprimunt: cuius fœmineum Tholdoth, תְּוִלְדָּות id est, generationes, sacris literis est frequentius, à radice יָלָד Ialad , hoc est, parturire , generare, nasci, in lucem producere, & parere. Vnde , ad significandum genus , & genealogiam, transfertur, Gen. 5. & 25. & hoc loco (ut quidam sentiunt) & nos paulò superiùs diximus. Nonnunquam verò rerum gestarum historiam explicat

cat (quòd rerum euentus tempus pariat) quemadmodum Prouerb. 27. scriptum est. *Ne glorieris in crastinum, ignorans, quid superuentura pariat dies.* Sic accipitur planè Gen. 6. & 36. Quibus in locis non diui Noë, aut Iacobi posteritas iolum: verùm etiam ea, quæ ipsorum ætate, & temporibus acciderunt, à Legislatore describūtur. Quamobrem rectè hunc locum de historia, & libro rerum gestarum Iesu Christi, Domini nostri, interpretari diximus. Sunt inter nostrates Hispanos, docti, & elegantes auctores, qui ex hac Hebraica voce, *Tholdoth*, Toleti, vrbis Regiæ, & insignissimæ, nomen ductum putent: quam Hispani, expresso punto, *Seba*, & tacito finali *Thau*, Toledo dicimus.

Porro vox *Hebræa*, *Tholdoth*, qua generationes significari, diximus: his sex elementis, seu notulis חלודות integrè, perfecteque scribitur: quas habet Gen. 2. Quò loci, mūdo à Deo condito, & homine adhuc integro, & innoxio: scriptum est, *Iste sunt generationes cæli & terræ, quando creatæ sunt.* At post misérum prothoplastorum lapsum, atque ruinam, ex illis sex literis, vna subtrahitur

tur: quæ & secundo, & quinto loco collocatur, quo cùnque diuinarum literarum loco vox Hebraïca, *tholdoth*, scripta est. Subtrahitur autem, vau, quæ vim habet coniunctionis copulatiuæ. Nec illi deinceps restituitur, nisi Ruth. 4. quò loci, Dauidis genealogia, non iam ex Abrahami solùm posteritate: verùm ex gentibus quoque ducta contexitur: ut huius literæ subtractione (quarum iudiciis ingentia nonnunquam, & reconditissima Sacra menta archanæ literæ subindicant) apertè Almus spiritus explicet, mundum quidem à Deo perfectum, & suis numeris absolutum, esse procreatū, & conditū: Adami verò perfidia, & defectione contaminatum, atque corruptum: per Christum, Dauidis filium, esse repandum, & pristinæ suæ dignitati restituendum: cuius illustrissimæ ac generosæ prosapiæ, & stirpis seriem, atque catalogum, hic diuus Matthæus à Dauide orditur, inquiens. *Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham.*
&c.

6 Obseruandum tamen, has duas voces, *Dor*, qua seculum, ætatem, & hominis

minis durationem significari diximus:
 & *tholdoth*, quæ natuitatem, produc-
 tionem, & originem explicat: aliquan-
 do confundi. Quamobrem variè expli-
 catur locus ille Isaiæ. 53. Generationem
eius, quis enarrabit? Quem hîc diuo
 Mattheo Hieronimus opponit: perinde
 ac ipse narrare incipiat, quod per reti-
 centiam diuinus Vates significauerit,
 prorsus esse ineffabile. Nam pro (gene-
 ratione eius, Hebraica habent, *Doro.*)
 Vox autē *Dor*, pro ea generatione, quæ
 seculum, ætas, & tempus, & hominis du-
 ratio est, archanis in literis usurpatur.
 Nec compertum habeo, quòd alicubi
 pro ea generatione, quæ est natuitas,
 aut origo, siue productio, usurpetur: ni-
 si hîc forsan apud Isaiam, sic usurpata
 sit. Quò fit, ut Vatablus, atque alij ele-
 gâtissimi sanè auctores (verùm Iudaïca-
 rum commentationum nimium te-
 naces) locum illum sic interpretentur.
 Generationem eius, id est seculū, æta-
 tem, & tempus eius: hoc est, homines
 qui viæturi sunt seculo, tempore, & æta-
 te Christi, quis enarrabit? ut sensus sit.
 Quis poterit, et si rara, & insigni polleat,
 & præditus sit eloquentia, ullis verbis
 expli-

explicare hominum , & præsertim Iudeorum malitiam : qui viuent tempestate Christi, atque illi syncroni , & contemporanei futuri sunt ? Ipsi siquidem Deo incorporato , & carne vestito , impias & crudeles manus in iicient . & intentabūt : inenarrabilibus ab eo prius affecti beneficiis : & tandem illum in Crucem agent.

7 Cæterūm qui vocem , Dor , eo loco , pro generatione actiuā , aut passiuā usurpant : longè aliter cum locum interpretantur. Quidam enim id de generatione æterna Christi passiuā intelligunt ; quidam de temporali : vtrāque autem est ineffabilis , & incomprehensibilis . Quidam verò id referunt , ad generationem Christi actiuā : qua ipse ineffabiliter etiam , morte sua nos genuit . Cùm enim generatio , vitæ expertibus non possit contingere : hoc planè superat humanæ rationis , & linguæ captum , & facultatem , quòd tam fœcundam fôbolem , & tot filios Christus Iesus , Redemptor noster , Cruce adita , dirissima sua morte propagauerit , atque sustulerit . Sicut scriptum est . Si exaltatus fuero à terra : omnia traham ad me ipsum . Et iterūm

iterum. *Nisi granum frumenti cadens interram, mortuum fuerit: ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit: multum fructum afferet. Quem sensum probare videtur sequentia, si derit pro peccato animam suam: videbit semen longeum. Et post pauca. In scientia sua iustificavit ipse iustus, seruos meos multos. Et iterum. Ideo dispertiam ei multos. &c.* Hinc est, quod Dicitus Matthaeus, nihil sacræ Isaiæ vaticinationi proponat contrarium. Tantum enim explicat, à quibus progenitoribus secundum carnem Christus originem duxerit: modum autem generationis nō attingit et si Autorem explicat, nempe Spiritum sanctum.

Filiij David filij Abraham) Ex ambiguitate vocum Græcarum, illud (filiij Abraham) referri potest ad Christum: & ad ipsum Dauid, ad quem ea verbare tulit Euthimius: ut s̄esus sit. Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid: qui Dauid, fuit filius Abrahæ. Planius videtur, utrumque ad Christum referre. Præcedit autem Dauid Abrahæ, aut ad vietandam tautologiam (ut vult Hieronymus) aut quod eum, regnitulo & dignitate præcesserit (iuxta Chrysostomum) aut quod nos Hebræorum fue-

rit , à recentioribus genealogiarum indices auspicari: vt constat in Paralipomenis. Sunt quibus recte videatur , per Periphrasim , filiū Dauid , hoc est Messiam , vocari Christum : quod sic eū vocauerint diuini Vates Isai . 11 . & 55 . Hier . 23 . & 33 . Ezechiel . 34 . & 37 . ~~et Isa . 3.~~
 Et vulgus pariter Hebræorum Messiā vocabat filium Dauid , cùm eam loquendi formulam ex sacris Oraculis hausisset: vt constat Matth . 15 . & 21 . & 22 . Luc . 18 . Ioan . 7 . Habuit verò multa Dauid cū Christo communia , quæ maximè eius sacratissimam vitam & regnum adumbrabant . Quale est Pastoris officium à puerō : animus cruendi agnos , & lues suas , quo quis discrimine adito , à ferarum (nempe leonum , & vrsorum) faucibus . Duellum , & singulare certamen , quod cum Gigante illo famatissimo , iniit : qui terrori erat vniuerso exercitui filiorum Israël : quem istu lapidis deiectum , proprio suo gladio iugulauit . Nám de peccato damnauit peccatum (vt ait Paulus .) Et tandem Regnum summis laboribus , atque periculis , patientia , & virtute partum .

Iudas genuit Phares , & Zaram , de Thamar.

mar. Plerique cēsent) quibus faciunt Hebræus Philo , & Rabbi Simeon *Ben Iochai.* *li. Zoar.* in Pentateucum) non sine fide, & præcognitione Messiæ, ex se ori- turi secundūm carnem, Thamar, sacerdo suo Iudæ se miscuisse: atque ea ratione, incertam Iudæ congettationem, à peccato liberant Ambrosius li. 3. commen-tario. in Luc. & Theodoretus quæstio. 24. in Gen. Chrysostomus anceps est. Nā Homi. & 2. in Genesim, hoc idem sentit: Homi. tamen prima in Matthæum, & aliis locis, vtrumque damnat. Quod faciunt etiam Augu. li. 22. contra Fau-stū: & Hieronymus in quæst. Hebraicis in Genesim. Peccauit autem Iudas (vt ait Lypomanus) s̄epe, inuidia, dolo, proditione, mendaciō. &c. Quare non est excusandus.

IO *Sulmōn autem, genuit Boos de Rahab.*
Boos autem, genuit Obeth ex Ruth.) Torsit hic locus plurimos vehementer: tūm quòd diuinis legibus Chanaanitudum connubia prohiberentur: tūm etiam, quòd inter ætatem Iosuë (cuius tempe-state vixit Rahab, Hiericuntina vxor Salmon) & tempora Elon: aut (vt aliis placet) summi Sacerdotis Eli (sub qui-

276.
325.

bus vixisse creditur Ruth, vxor Booz)
 lapsi sunt, secundum eos, qui hæc tem-
 pore arctissimè calculantur: anni ducē-
 ti septuaginta sex. Nam alij, trecentos
 viginti quinque exactos esse annos, nō
 omnino improbabiliter contendunt.
 quo igitur pacto Booz, Salmone & Ra-
 hab genitus, tot annis elapsis, propaga-
 re, & gignere potuit Obeth ex Ruth:
 Theophilactus, his difficultatibus vi-
 etus, asserit, aliam esse hanc Rahab, ab
 illa Hiericuntide:& alium Salmonem,
 ab eo qui fuit Princeps tribus Iudæ sub
 Iosuë. Pagninus verò, vir alioqui valde
 religiosus, & pius, nescio quo consilio,
 quæve ratione, aut authoritate fret⁹, ha-
 rum duarum fœminarū Rahab, & Ruth,
 nomina ex sacro Euangelij textu, in e-
 ditione Bibliorum suorum expunxit:
 cùm omnia exemplaria, Græca, pariter
 & Latina, quæ extāt, imo verò Hebraï-
 ca Matthæi, quæ vulgò circunferuntur,
 & Syriaca: constantissimè nobiscum le-
 gent, *Salmon genuit Booz de Rahab: Booz*
autem genuit Obeth ex Ruth. Quam lectio-
 nem, esse germanam, & incorruptam:
 docent omnia sanctorum Patrum Cō-
 mentaria. Sacri igitur Interpretes, prio-
 rem

rem dubitationem dissoluunt, asseren-
tes, peculiari diuini numinis dispensa-
tione, & consilio, propter insignem fœ-
minæ virtutem, & fidem, Salmonem,
vxorem Rahab duxisse: quanquam &
~~Chanaea~~ esset, & Hiericuntis. Secun-
dam vero, non eodem modo explicant.
Nam Lyranus, & quidam alij censem, Booz (cuius hic, & Luc. 3. nomen collocatum est, qui genuit Obeth ex Ruth Moabitide) non esse filium: sed abne-
potem Salmonis, qui coniugem habuit Rahab. Intermittit vero tres alios inter-
medios, tam hic, quam in Paralipome-
nis: quod eodem nomine omnes appel-
laretur, scilicet Booz. Abuleensis vir do-
ctissimus, quest. 14. in hunc locum, affir-
mat, neminem intermedium, siue hic,
siue in Luca, siue in Paralipomenis re-
linqui. Sed verè Booz, non abnepotem,
sed filium esse Salmonis: quem à Ra-
hab Hiericuntidis coniugio sustulerit.
Historiam vero Ruth, non temporibus
Heli Sacerdotis, nec Elon Iudicis Hæ-
bræorum: sed tempestate Gedeonis, aut
certè Barach, accidisse. Exactissima ve-
rò, & diligenti annorum, & temporum
supputatione ostendit, potuisse Booz &

Obeth, cùm essent longæui, & solito viuaciores : quibúsque cruda à Deo, viridisque senectus contigisset : in ultima senectute filios procreare. Nam Abrahæ centenario natus est filius : & Massinissa Numidarum R~~ex~~ ætatis. 86. genuit filium. Vtrique aptè nostro iudicio discordiam compo-nunt : Sed Abulenis aptius, si illi ad vnguem tempora consentiant, atque respondeant: quem fermè sequutus est Caietanus.

ii Sunt qui tradant, Deum optimū maximum. Num. 25. cùm Madianitas supplicio affecisset: Moabitis pepercisse, quòd ex eorum sobole, & posteritate secundūm carnem, per Ruth Christus esset oriturus. Tradit præterea Philo libello de Biblicis antiquitatibus, Orphā, & Ruth Moabitides, vxores Mahalon & Cheilō, filiorum Elimelch & Noëmi: sorores germanas fuisse. Orphamque post redditum socrus suæ Noëmi, in patriam Bethleem, cū sorore sua Ruth: nupsisse viro Palestino, stirpis k nachim: cuius pronepos fuerit Golias, ille Ge-theus: cum quo Dauid, eiusdem consanguineus, & alterius sororis, scilicet Ruth

Ruth pronepos, pro Religione, & gentis suæ gloria, singulare certamen fœlici euentu inierit.

12 *Iesse autem genuit Dauid regem,*) Iesse (vt multi alij, qui in hac serie collocantur) fuit binomius. Appellant eum siquidem diuinæ literæ Isai. Vocatus est autem ab æmulis frequenter Dauid, probri, ignominiae, atque contumeliæ gratia, filius Isai: quod ex getibus, Chananeis scilicet, ac Moabitis, genus duceret. Non enim minus turpe, id olim inter Hæbreos fuit, quam inter nostros hodie sit, ex Hebræorum, aut Mahometonorum genere originem ducere.

13 *Salomon autem genuit Roboam.* Hieronymus Epistola ad Vitalem, contendit, Salomonem, vndecim tantum annos natum, genuisse Roboam.

14 *Ioram autem genuit Oziam.*) Ex libro Reg. 4.c.11.& 2. Paral. c. 22. & 23. satis constat, Ioram genuisse Ochoziam: hūc Ioas: Ioas verò. Amasiam: hunc autem, Oziam. Quò fit, vt non sine insigni aliquo, & archano sacramento, (diuino certè consilio) hi tres Reges, nēpe Ochotias, Ioas, & Amasias, à diuo Matthæo intermittentur. Hunc diuinæ orationis

hiatum, & cicatricem, multis plerique rationibus obducunt. Quidam arbitrātur, diuum Euāgelistam, numeri sacramentum, his tribus Regibus expunctis, conseruasse: cùm principio proposuisset, tres tantūm tessaradesades describere, quibus triplicem Hebraicæ Rei publicæ statum, vsque ad Christum, cōplete eretur: Sub Patriarchis, atque Iudicibus: sub Regibus: & tandem sub Pōtificibus, ac Ducibus. Hieronymus, & Hilarius, hoc referunt ad impietatem Athaliæ, vxoris Ioram, filiæ impiissimum Regum Israēlis, Achab, & Iezabelis. Quæ pariter. 4. Reg. 8. filia Amri, ab auo nuncupatur. Quibus Augustinus libro quæstionum veteris ac noui Testamenti, & Chrysostomus hoc loco, consentiunt.

15 Sunt qui, Philonem Annianum sequuti, affirment, Dauidem diuina revelatione cognouisse, Salomonis filij sui posteritatem, propter peccata peritaram: Deoque statuente edixisse, vt Salomonica stirpe sublata, posteri Nathan filii sui, fratris germani Salomonis, Regno inaugurateantur. Eamque familiam à loas (qui ex posteris Nathan pri-
mus

mus in regnum est electus: qui à Luca
vocatus est Simeō:cum Ahias & etiam,
& Mathath vocaretur) Ahisarim,& Ma-
thathim appellatam. Euersem porrò
Salomonis posteritatem stirpitus septi-
ma generatione, ab Athalia: cum prius
filius eius Ochozias, mandato Iehu Is-
raëlitarum Regis, concidisset: ut cōstat.
4.Reg.10.& 11.& 2.Paralip.22.& 23. ser-
uato tantum Ioa infante, ad huclæten-
te, & internecionia cædisublato (qua
Athalia in omne semen Regium gra-
fabantur) diligentia, & misericordia Io-
sabeth, sororis Regis Ochoziæ: quæ nu-
pta erat summo Sacerdotum Principi,
Ioiadæ. Ioa autem unus erat ex poste-
ris Nathan: vocatus tamen sepe filius
Ochoziæ, & Salomonis, quod illorū re-
gno successerit. Hæc sine ullis aut testi-
bus, aut rationibus, proponuntur à Phi-
lone illo Aniano: cuius Chronogra-
phiam, & Biblicas antiquitates, cū alio-
rum Auctórū libellis, quos Ioannes ille
Annius produxit in lucem: nonnulli
clari Auctores, suppositios, & cōmen-
titios esse, non leuis conjecturis sus-
picantur. Cæterū in eius sententiam,
pedibus ac manibus à recentioribus itū

est. Eam enim sequuntur Ioannes Lucius
^{Canus.} lib. II. de dus, Georgius Vuicellius, Petrus Iruroz-
^{loc. s. c. 6.} quius, Claudio Guilialdus, ac multi
^{Volater} alij. Quæ quidem sententia, duobus po-
^{ra. li. 14.} Antropo. tissimum argumentis poterat persuade-
^{Vives de} vi. Primū: quod non sit verisimile. Atha-
^{ratio. lib. liam} (et si crudelissima & ambitionissima
^{7. & lib. 5.} esset mulier) nepotis suo infanti, filij sui
^{de tradē.} dif. & in filio minimè parcituram: cum præser-
^{proēmio.} timiure propinquitatis ad ipsam, tan-
^{lib. 1. 8. de} ciuita. & quam ad auiam, Regni gubernacula,
^{Faber in} quo usque nepos adolesceret, pertine-
^{lib. 1. Poli.}
^{& Cor-} nelius lā-
^{fensus in} hunc lo-
^{cum.} set p̄ædita, ut in sua quoque charissi-
^{ma pignora, & in proprium sanguinem,}
^{atque nepotem, manus verteret: nō vi-}
^{detur rationi consentaneū, quod illius}
^{diligentiam, rabiem, atque crudelitatē,}
^{filius Ochoziæ viuens, potuerit effuge-^{re.}}
^{Omnem quippe moueret lapidem,}
^{& exquisitissima cura, solertia, atque}
^{indagine quereret, quid factum esset}
^{de nepote suo loa.} Verūm cum esset de
^{posterioritate Nathan, quorum exactam}
^{rationem, atque notitiam, minimè ha-}
^{bebat Athalia: potuit cædisubtrahi, &}
^{simul cum nutrice in intimis templi re-}
^{cessibus latere. Utitur prætereà Ioannes}
^{Luci-}

Lucidus lib. 2. de temporibus c. 9. ad roborandam hanc sententiam, testimonio beatæ Brigitæ de Suetia li. 3. suarū reuelationum. c. 19. dicentis. Salomō, cui tam mirifica data, & promissa sunt, ~~excellētā bonitate~~, & non est completa in eo promissio, propter ingratitudinem eius. Hactenūs Brigitta.

16 Ad ostendendam ergò hanctantā Dauidici Regni, excissa stirpe Salomonis, mutationem, & Imperium ad familiam, & posteros Nathan translatum esse: affirmant Matthæum, hos tres Reges missos fecisse. Hunc igitur Regem Ioaꝝ, iidem Auctores (vt prædiximus) ferunt, eundem esse, quē Lucas Symeonem appellauit: à quo usque ad Regem ipsum Dauidem, lineam Nathan idem Euāgeliographus Lucas describit. Hæc illi confidenter, & seriò. Verùm Melchior Canus, Episcopus Canariensis, vir proculdubio doctissimus, libro de locis Theologicis. II. c. 6. multis & rationibus, & sacrarum literarum testimoniis, horum sententiam euertit, atque conuelli: quæ illinc hautiri poterunt purius, atque suauius. In primis enim docet, libros illos Philonis esse ementitos,

atque

atque fictitios, in quibus disertissimi Philonis desideretur eloquentia, & multa cōtineantur falsa, quæ ostendant illorum auctorem, sacræ, pariter & prophænæ historiæ, esse imperitissimū. Deinde producit multa, & copiosa diuinarum literarum testimonia: in quibus Iosas, filius Ochozie vocatur, & inter Salomonis posteros recensetur. 4. Reg. 11. & 12. & 13. & 1. Paralip. 3. quod ipse inuidum putat testimonium. & 2. Parali. 23.

17 Nobis verò, nec tot auctores doctos, & Catholicos refellere, in animo est: nec cōtrà libelli illius fidem, nostro (licet in firmo) suffragio confirmare. In quo etsi multa sint falsa, vt obijcit Canus: (quod planè dubitari non potest) possunt tamē aliqua esse vera. Nec eius Auctor, disertus est ille Philo Platonicus: cuius Suidas, Hieronymus, atque alij Ecclesiastici Auctores, meminerūt: cuiusque adhuc elegatissima opera supersunt, Verūm alias cōmune cum illo nomē habēs, multò eo posterior (quod à Driedone quoque obseruatū est:) qui nō Græcè, sed Hebraicè scripserit. Testimonia verò Scripturarū, quæ aduersus hanc sententiam Canus profert: et si videan

videantur vrgere, vnica respōfane sol-
uuntur. Nempe quòd loas filius Ocho-
ziæ nuncupatur, & ipse, ac eius posteri,
inter Salomonis filios recēsentur, quòd
in illius Regnum successerint, & anti-
qua illa ~~progenitoris~~ sui Dauidis des-
gnatione, non aliter ac adoptione qua-
dam in eius stirpem, genus, atque fami-
liam sint inserti, atque transferint.

18 Solui etiā haud multo negotio pos-
sunt rationes, quas nos, pro recentiorū
probabili opinione produximus. Da-
mus quippè, adeò sœ uiturā fuisse Atha-
liā: vt nec nepoti quidē suo parceret. Da-
mus pariter, nulla illius diligentia, nul-
la industriā subtractū cædi infantē, & in
intimis tēpli adytis ac penetralibus de-
litescentem: ab ea deprehendi potuisse.
Ad authoritatem beatæ Brigittæ, ref-
ponderi potest: non esse illius verba de
Salomonis posteritate, & Regni succe-
fione interpretāda: sed forsitan de Re-
gni integritate: nam in eius filio Roboā,
diuisum est. Nihil tamen morabuntur
aduersarij diuæ Brigittæ authoritatem:
si qua in re illius Reuelationes, aut di-
uinis literis, aut sanctorum Patrum do-
ctrinæ refragentur. Canus verò censet,

hanc

hanc recentiorum sententiam, diuinis literis refragari.

Iosaias autem genuit Iechoniā, & fratres eius, in transmigratione Babilonis.) Pr̄positio, in, pro ante hoc loco usurpatur Quemadmodū Exo. 21. In die primo non erit fermentū in domibus vestris: id est, ante diē primū. Et quō loci nos legimus Gē. 2. Cōpleteuitque Deus die septimo opus suum: Biblia Hebraica habet בַּיּוֹם Baiom: id est, in die septimo: hoc est, ante diē septimum. In transmigratione Babilonis: id est, ante transmigrationem Babilonis. Ostendit verò temporis propinquitatēm: ut sensus sit. Iosias autem genuit Iechoniam, & fratres eius, instante transmigratione Babilonica, aut sub transmigrationem Babilonicā. Observauit hīc Hieronymus, Iosiam non genuisse Iechoniā, sed Ioakim: Ioakim verò, Iechoniā: qui etiam 4. Reg. 24. vocatur Ioachin. Sciamus (inquit Hieronymus) Iechoniam priorem, ipsum esse, quem loakim: secundum verò, filium, non patrem: quorum primus, per k, & m, secundus per ch, & n, scribitur: Quod scriptorum vitio, & longitudine temporum, apud Græcos, Latinosque, confusum est. Constat autem 4.

Reg.

Reg. 24. & 1. Parali. 3. Iechoniam fuisse binomium: & loakim eius patrem, ætate quidem primogenitum fuisse Iosiae: dignitate verò Iohanan (sic enim appellatur i. Paralip. 3.) siue Ioachaz (eo si quidem nomine appellatur 4. Reg. 23.) Populi nāmque concursu, posthabito fratre loakim, qui erat maior natu: Regno est inauguratus. Constat autem, biēnio fermè maiorem natu fuisse loakim. Nam 4. Reg. 23. scriptum est. *Virginis trium annorum erat Ioachaz, cum regnare cœperisset: & tribus mensibus regnauit in Hierusalem.* De loakim verò, qui immediate ei in Regnum successit: scriptum est. *Virginis quinque annorum erat Ioakim, cum regnare cœperisset.* Ergò diuinis in literis, alij sunt Primogeniti ætate: alij dignitate. Quòd si loakim, pater Iechoniæ (de quo modò diximus) in hac serie reponatur: in secunda tessaradecade, nullus desiderabitur ex numero quaterdeno.

20 *Iechonias autem, genuit Salathiel,*
 Non obstat, quòd Hieremias. 22. scriptum sit. *Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur.* Hęc enim verba non sunt referenda ad filiorum orbitatem: sed ad amissionem Regni,
 quod

quod ab eo, eiusque posteris, à Chaldeis
ablatum est. Quod explicant sequētia.
Sequitur nāmque. Neque enim erit de se-
mine eius vir, qui sedeat super solium Dauid: &
potestatem (scilicet Regiam) habeat vltra in
Iuda. Hactenū Hieremias. Rabi Salo-
mon, & Rabi Dauid Chimni, in c. viii-
mum Aggæi, cēsent, lechoniam, in Ba-
bilonico carcere egisse pœnitentiam, &
inter captiuos genuisse filiū Salathie-
lem, patrem Zorobabelis. Verba Chim-
hi sunt huiusmodi. Magna resest pœni-
tentia, quæ abrumpit legem latam, &
fatalē: sicut dictū est Hiere. 22. Cæterū,
quia egit pœnitētiā, versa est ei decreta
sentētia in bonū: quia natus est ei filius
inter captiuos. Ergo quod cōminando
dixerat Deus, *Vnu ego*, dicit Dominus,
si erit sigillum super dexteram mea &c. Versum
est, ut per pœnitentiam, diceret nepoti
illius (*Sum am te serue meus*, & *ponam te*
quasi sigillum &c.) Philo ille Annianus
tradit, lechoniam, anno septimo Euil-
merodach, educatum de carcere: ab He-
bræis, Neri, hoc est, lucernam cognomi-
natū: quod lucerna Dauidis iam pro-
pè extincta, splendens rursum, & resti-
tuta videretur. Moxque ei natum esse
filium:

filium: nomine quidem Mesezebeel,
sed cognomento Salathiel.

21 *Salathiel autem, genuit Zorobabel.)*
Idem Philo, & qui eum sequuntur, affir-
mant, anno septimo ante restitutam
Hebræis à Cyro libertatē, Mesezebee-
lel, cognomento Salathielem, genui-
se filium, nomine Barachiam: quē Rex
Cyrus profectioṇi, & reditui, quem po-
pulus Israēliticus in patriam parabat,
præficiēs: & expeditionis illius Ducem
constituens: Zorobabel, hoc est, Magi-
strū militiæ Babilonicum, siue Princi-
pem, appellauit. Huncque diuersum
esse omnino, & alium, ab eo Zoroba-
belc, qui. i. Paralip. 3. filius Phadaiae, fi-
lij lechoniæ, vocatur. Lucam prætereà,
& Mattheum, ad Zorobabelem vsque
cōuenire. Verūm quòd is duos habue-
rit filios, Resa, & Abiud: Lucam quidē,
per Resa lineam Christi, vsque ad Heli,
virginis Mariæ patrem, prosecutum:
Matthæum verò per Abiud, vsque ad
beatissimæ Virginis sponsum, Ioseph.
Nam & ab Ozia, nepote Ioas, (qui pri-
mus omnium posterorum Nathan, Re-
gnūm iniit) Matthæus quoque texit sē-
riem stirpis Nathan: quemadmodūm à

nobis, paulò superiùs dictum est fusiùs.

22. Et certè locus hic de Zorobabel
nō nihil habet difficultatis, cùm tām
expeditè. 1. Parali. 3. Salathiel & Pha-
daias fratres germani, appellantur filij
Ieconiæ: & Zorobabel, filius Phadaiæ
planissimè ostendatur, non Salathieli.
Verfantur in eadem difficultate He-
brei, vt hunc locum ex libro Paralipo-
menon, cum Aggæo, Ezra, & Neemia,
concordent: apud quos Zorobabel, fi-
lius, non Phadaiæ: sed Salathieli voca-
tur. Quidam hunc nodum soluunt, di-
centes, Salathielem, ac Phadaiam, qui
erāt germani fratres, habuisse filios co-
gnomines, Zorobabelosque vocatos.
Quod plerumque inter propinquos
accidere solet. Hiautem patrueles erāt.
Zorobabel autem, Phadaiæ filius, filiū
*Ekius in
a. 7. Ag-
gei.*
z. Paral. 3. procreauit, nomine Mosollam. Zoro-
babel verò, Salathieli filius, genuit fi-
lium, nomine Abiud: cuius Matthæus
meminit. Vatablus, & alij, putant Sala-
thielem, non patrem: sed auum fuisse
Zorobabelis. Dici tamen patrem: pe-
culiari diuinarum literarum locutione,
& vsu: in quibus frequenter progenito-
res (auis scilicet, & proauis) patres appel-
lantur:

lantur: & filij, eorum posteri. ~~Sunt~~ qui
 arbitrentur, eundem esse. c. illo. 3. 1. li.
 Parali. Salathielem, Phadaiam, & Mel-
 chiram: ut tria hæc nomina, vnius sint
 hominis, nempe Salathielis. Quam sen-
 tentiam, quidam Hebræi sequuntur,
 quod locus ille Paralipomenicus, adeò
 sit confusus, & ambiguus: ut vix ex He-
 braico contextu dijudicare possis, fue-
 rintne Iechoniæ filij, Assir, Salathiel,
 Phadaia, Melchiram, & cæteri, qui eo
 loco nominantur: an verò filius quidem
 Iechoniæ, Assir: huius, Salathiel, huius,
 Phadaia, Melchiram, & cæteri: an rur-
 sum idem homo, eo loco, nomine, co-
 gnomine, & agnominé, Salathiel, Pha-
 daia, & Melchirā, vocatus sic: quod Ro-
 manis profectò familiare, & Hæbreis
 nō omnino insolitum fuit. Hieronymus
 apertè sentit, eundem esse virum, duo-
 bus nominibus nuncupatum, Salathie-
 lem, & Phadaiam. Sunt quibus placeat,
 Salathielem quidem, patruum fuisse
 Zorobabelis: fratrem scilicet Phadaiæ,
 eius patris. Vocari verò Zorobabelis
 Patrem: quod eum apud se educauerit,
 atque instituerit. Sic Micholi, filiæ Sau-
 lis. 2. Reg. 21. tribuuntur liberi: quos A-

driel, ex eius sorore Merob, altera Saulis filia, suscepit. Nam Micholem, nūquā sobolē procreasse: & Adrieli Merob nupsisse legimus. 1. Reg. 18. & 2. Re. 6. Dicuntur autem Micholis filij: quod eos apud se Michol, ut proprios, educasset. Sic etiam Num. 3. Aaronis, atque Mosis generatio, proponitur describenda: cùm postea Aaronis tantum posteritas describatur: quod non minus ad Mosem, Aaronis germani, sui fratri filij pertinerent, qui ipsos educauerat, & diuinis legibus imbuerat: quam ad legitimum eorum parentem, Aaronem, qui ipsos genuerat. Hæ verò quatuor sacerorum Interpretum sententiæ probabiles videntur: et si ea, quam primo loco recitauimus, sit expeditior.

23 *Zorobabel autem genuit Abiud.*) 1. Parali. 3. scriptum est, Zorobabelem genuisse Mosollam: quem docti omnes, eundem esse censent, quem hoc loco Matthæus vocat Abiud: quod fuerit binomius.

24 *Iacob autem genuit Ioseph. &c.*) Locus perdifficilis, & qui ex Diametro cū Luca pugnare videtur: qui c. 3. ita inquit. Et ipse Iesus erat incipiens, quasi annum

rum triginta; ut putabatur, filius Joseph:
 qui fuit Heli. &c. Nō enim potuit idem
 homo Joseph, cuius genealogiam Mat-
 thæ⁹, & Lucas, explicare instituūt: duos
 naturales habere patres: Iacob scilicet,
 de stirpe Salomonis: & Heli, ex familia
 Nathanis. Verūm hanc Matthæi, & Lu-
 cæ dissonantiam, & Paganorum obie-
 ctionem, apertè, & luculenter in con-
 cordiam reducunt; atque dissoluunt,
 non solūm antiqui Patres: verūm recē-
 tiores etiam, sacrarum literarum Inter-
 pretes. Non eodem sanè modo omnes:
 aliter siquidem antiqui, aliter qui eos
 sequuti sunt Auctores: sed vtrique cō-
 mode, atque perspicuè. Prisci quippè
 Patres, Iustinus Philosophus, & Mar-
 tyr. q. 66. ad Orthodoxos. Eusebius lib.
 1. Ecclesi. Historiæ c. 7. Hieronymus hic
 Ambrosius lib. 3. Commentari. in Lucā:
 Augustinus lib. de consen. Euang. 2. c.
 3. & lib. 2. retracta. c. 7. & 16. & contra
 Faustum lib. 3. c. 3. & lib. 28. contra eun-
 dem. c. 5. Beda lib. 1. in Luc. c. 10. Theo-
 phila. in c. 3. Lucæ. Damascenus lib. 4.
 summæ Orthodoxæ fidei. c. 15. Nice-
 phorus li. 1. Histo. Eccles. c. 11. Aphrica-
 num Historicum sequenti, proximum

temporibus Apostolorum : affirmant, diuum Ioseph, duos habuisse patres; naturalem alterum, nempe Jacob filium Matham: cuius stirpem, per Salomonē, ad Abrahamum vsque, texit Matthæus. Legalem alterum: nempe Heli, filium Mathat: cuius Progenitores, per Nathā, ad Deum vsque generis humani Conditorem, prosequitur Lucas. Nec enim dubium est, patris nomen, diuinis in litteris latissimè patere: ut sint patres, non propagatione solum, & natura: verùm fidei etiam propagatione, & doctrina: quo pacto Gen. 17. Abraham, Pater multarum gétium, dictus est. Morum similitudine: Ezechi. 16. Pater tuus Amorrhaeus, Materna Chethæa. Ioā. 8. Vos ex patre Diabolo estis. Authoritate, & munere. Gē. 45: vocatur Ioseph, pater Pharaonis &c. 4. reg. 2. Eliæ acclamat Heliseus. Pater mi, pater mi: currus Israëlis. & auriga eius. Affetu: lob. 29. Pater eram pauperum. Inuētione, & officio: Gen. 4. Pater canētum cythara, id est, cythare Inuentor. Inchoatione, & principio: Isai. 9. Pater futuri seculi, id est, Inchoator. Dicitur etiam quispiam, adoptione pater: quod celebre Romanis fuit; Aramaëis pariter, Hebræis, atque Aegy-

Ægyptiis, non insolitum. Quod docent diuinæ literæ Gene. 30. de Rachele, & Lia Aramaïs, (quæ filios ancillarū suarū.) Et de Iacob (qui Gé. 48. Manassen, & Ephraim, filios Ioseph) Et de Meri, Ægyptiorum Principe generosissima, filia Pharaonis (iuc enim eā vocat Arthabanus, Græcus Historicus: quem sequutus est Augustinus: et si sciam, eam, Therimuth, à Iosepho nuncupari) quæ Exod. 2. diuinū Legislatorem, Mosem: atque alij, alios in adoptionem receperunt. Cæterū erat insignior quædam alia, inter Hebræos, adoptio, ante latā quidem legem recepta (vt constat Gen. 38: Quo loci Thamar, nurus Iude: quæ nupferat Her, eius Primogenito: eo extincto, nupsit Onam. Qui sibi filios: semen fundebat in terram, ne liberi, fratri nomine nascerentur.) Verum Legis postea Mosaicæ præceptis, Deut. 25. altius confirmata. Qua viuens frater, germanus, aut propinquus (quod probat Historia Ruth c. 4.) tenebatur, fratri, vita functo, suscitare semen ex relicta. Et nomen (inquit) Primogeniti, nomine illius appellabit. Non est sensus, quod si maritus relictæ vocabatur Her: filius

ortus ex fratre superstite, & relicta, vocandus erat Her. Nam Obeth, non est vocatus nomine patris sui legalis, Mahalon: cuius vxor fuit Ruth. Sed sensus est. Primogenitus, ex relicta ortus, dicitur filius mortui: & ad illum, defuncti pertinebit hereditas. Hanc Hebræi, legalem adoptionem vocabat, quando filius, propagatione, & natura, ad alterum: ad alterum vero consuetudine, & legis beneficio, pertinebat. Sic ergo Aphricanus putat, natura diuum Ioseph, ad Iacob quidem: lege autem, ad Heli pertinere. Quo autem pacto, naturalis pater fuerit ex familia Salomonis: legalis verò ex stirpe, & posteritate Nathan: Aphricanus in Epistola ad Aristidem, his verbis indicat (vt sunt apud Eusebiū lib. 1. Hist. Eccles. c. 6.)

25 Ut autem clarius fiat, quod dicitur: ipsas generationum consequentias narrabimus à Dauid, per Salomonem. Generatio, quā dinumerat Matthæus, tertium à fine facit Matham: qui dicitur genuisse Iacob, patrem Ioseph. Per Nathan verò de Dauid, Lucas, generationum ordinem texens: tertium eiusdem loci facit Mathat. (Admonemus hoc loco)

loco lectorem: plerisque codices Eusebianos, pro Mathat, corruptissime legere Melchi: quod ante nos, à viris doctis obseruatum est.) Dicit enim Ioseph, qui fuit Heli: q̄ fuit Mathat. Nobis autem imminet ostendere, quomodo Ioseph secundum Matthēum quidem, patrem habuerit Iacob: qui deducitur per Salomonem. Secundūm Lucam verò, Heli; qui deducitur per Nathan. Utque isti ipsi, id est Iacob, & Heli, qui erāt duo fratres, habentes quidem diuersos patres, Matham, & Mathat, ex diuerso genere venientes: & isti, Ioseph aui esse videntur. Est ergo modus iste. Matham, & Mathat, diuersis temporibus, devna eademque vxore, Estha nomine, singulos filios procrearunt. Quia Matham; qui per Salomonem descendit; primus illam vxorem acceperit: & relicto uno filio, Iacob nomine, mortuus est. Post eius obitum (quia Lex, viduam, alteri viro non vetat nubere) Mathat, qui per Nathan genus ducit: cùm esset ex eadem tribu, & familia Dauidica (licet non ex eadem linea: quia Matham pertinebat ad Dauid, per Salomonē: Mathat verò, per Nathan) reliquit Ma-

tham, accepit: ex qua & ipse filium suscepit, nomine Heli: per quod, ex diuerso patrum genere efficiuntur Iacob, & Heli, vterini fratres. Quorum alter, id est Iacob, fratrī Heli, sine liberis, defuncti, vxorem ex mandato legis accipiens: genuit Ioseph: natura quidem germinis, filium suum. Propter quod, & scribitur. *Iacob autem genuit Ioseph.* Secundūm verò legis præceptum, Heli efficitur filius: cuius Iacob (quia frater erat) vxorem, ad suscitandum fratrī semen, acceperat. Et per hoc, rata inuenitur, & integra, generatio: & ea, quam Matthæus enumerat, inquiens: Iacob autem genuit Ioseph: & eam, quā Lucas competenti obseruatione designat, dieens: quòd putabatur esse filius Ioseph. Hæc autem, nō nobis ad subitum reperta, aut absque ullis auctoribus cōmemorata: Sed ipsa hæc, nobis, Saluatoris propinqui secundūm carnem, seu studio tanti sermonis demonstrandi, siue edocendi quæ secundūm veritatem gesta sunt: tradiderunt. Haðenūs Aphricanus.

26 Montanus (solus quod sciā) hīc, censet, Matthæum, naturalem beatissi-

mæ Virginis genealogiam contexuisse. Ipsumque Jacob, quem Matthæus ait, genuisse Ioseph: ipsum fuisse Ioachim, Virginis patrem. Vocari verò filium, quod Ioachim, generum Ioseph, in filium adoptauerit, ut sibi mascula prole carenti, semē suscitaret legis beneficio. Secū tamē pugnat. Nam Luc. 3. ait, Lucam, Mariæ Virginis genus, per Nathan descripsisse: Matthēum verò, genus Ioseph, per Salomonem.

27 Aphricani verò, & sanctorum Patrum sentētia, maximam habet probabilitatem. Nam quæ aduersus eam Osiander argumenta produxit, adeò sunt infirma, atque futilia: vt præter calumnias, atque contumelias, quibus ille Hæreticorum more abundat (quibus Gentile est, omnibus maledicere, & universas ciuitatis, & virbanitatis leges violare) nihil habeat, quod aut responſione, aut explicatione dignum sit. Refutauit ea tamen sigillatim Canus lib. de locis Theologicis. II. ca. 5. Attigit ea etiam Augustinus lib. 5. quæſtionum in Deuteron. q. 46. & lib. retractatio. 2. ca. 12. Neceam, certam, in tāta ſacrorum interpretum, & Auctorum Ecclesiasti-

cæ Historiæ, confensione, sed probabilem dicimus: quòd Aphricanus, eius sententiaæ auctor, eam, non ut omnino certam, & indubitatem, sed ut probabilem, tantum proponat: post illa quæ proposuimus verba, sic ad Aristidē status. Siue ergo in hunc modum, siue aliter habeat res ista: non poterit quispiam meo iudicio, clariorem expositionem reperire. Quisquis autem æquo animo præditus est: idem quod nos, curabit, etiam si certū desit testimonium. Hęc Aphricanus. Quamobrem studiosè, & piè, Augustinus, & Thomas, conati sunt, hanc, quæ videbatur esse intersacros Euangeli Scriptores, discrepantiam, aliis rationibus componere: quos nos hīc pariter pro virili imitabimur.

28 Recentiores verò, quos superiùs Nū. 15. nominauimus, & plerique alij, alia profectò ratione: sed planè dilucida: atque probabili, hęc Matthæi, & Lucæ loca, conciliant. Aiunt enim, utrumque Euangelistam, genealogiam naturalem describere: Matthæum quidem, beati Ioseph, sponsi Dei genitricis Mariæ, & patris putatitij, Seruatoris nostri

nostrī Iesu Christi : quòd Iudæis, scri-
bentem non deceret , contra morem
Scripturarum , per fœminam , Christi
Domini progeniem , & genealogiā cō-
texere. Lucam verò , Christi Iesu Re-
demptoris nostri, verum , ac naturale
genus: per Heli, naturalem genitorem,
ac patrem sacratissimæ Virginis. Heli
quippè, Ioachin, & Eliachim, Hebræis,
nomina sunt Sinonima: vt constat. 4.
Reg.23.& 2.Parali.36. Quamobrem, eū-
dem esse affirmant apud Lucam, Heli,
& Ioachim , Virginis Deiparæ Mariæ
genitorem, atque parētem. Verùm du-
bitant viri docti , nomina hæc, Heli, &
Ioachim , siue Iehoiacim , Hebræis esse
synonima: et si fateantur loca illa cíta-
ta. 4.Reg.23.& 2.Paral.36 probare, eun-
dem Regem , siue hominem, vocatum
fuisse Heli , & Eliachim , & Ioachim.
Quapropter animaduertēdum est, in-
stitutum fuisse priscorum Iudæorum
(quem morem nunc etiam Iudæi ser-
uant) vt si quis in suo nomine, tres , vel
quatuor literas habeat nominis ineffa-
bilis : ob reuerentiam nominis sacro-
sancti, non temerè, nec vulgò, suo no-
mine appelletur : præsertim in familia-
ribus,

ribus, & quotidianis colloquiis: Sed alio aliquo factitio, quod aut idem significet quod proprium, aut illud insigni aliqua notatione insinuet. Sic eum cui nomen est Iudæ: Lebi, id est, Leonem appellant, quod Leoni comparatus sit Iudas. Gen. 49. Eum etiam, qui vocatur Iehoacim, siue loachin: hoc est, extollendum, eadem ratione, nempe ob reuerentiam nominis Tetragrammati, vocant Heli: id est, altum. Quod alio quidem loco, & aliud agens, obseruauit Lanfeniis in caput concordiæ suæ. 39. in illa verba, *Et cum dies factus esset. vocavit ad se, quos voluit ipse discipulos.* Verba autem illa Luc. 3. *Et ipse Iesus erat incipiens, quasi annorum triginta: ut putabatur, filius Ioseph: qui fuit Heli.* &c. Sic interpretantur: ut relatiuum illud, qui, non referat Ioseph, sed Iesum: ut sensus sit. Qui Iesus, fuit Heli: filius scilicet, aut nepos: nam nepotes diuinis in literis, crebro filij etiā appellantur. Potest præterea cōmodè referre ipsum Ioseph, hoc sensu. Ut putabatur, filius Ioseph: qui Ioseph, fuit Heli: gener scilicet, aut filius. Nam gener etiam apud nos hodiè filij nuncupantur.

29 Siverò quæras, quidnā ad Christum

stum pertinuerit genealogia naturalis Ioseph, descripta à Matthéo : poterunt huius sententiae assertores respondere, plurimum pertinuisse. Nam beatissima Virgo, & Ioseph, non solum erant ex eadem tribu / hoc enim argumēto probari non posset , Christum , secundūm carnem, stirpis esse Dāuidicæ: cùm plurimas familias eadem tribus habuerit: vt cōstat in Numeris, & in Paralipomenis,) verūm etiam ex eadem familia Dāuidica: ducta (iuxta hos Auctores) non diuersis lineis , Nathan , & Salomonis: sed ab eodem Dāuidis filio, Nathan , & eadem linea. Itaque sunt qui obnixè affirment, atque contendant (inter quos est Iansenius) beatum Ioseph , iure propinquitatis Virginem duxisse, iuxta legis præceptum Num. vltimo : eò quòd Virgo sacratissima esset ex earum numero , quæ secum transferebant paternam hæreditatem, in viri familiam : eò quòd Primogenita esset , nec parentes prolem masculam suscepissent. Lucas enim , & Matthæus (vt ipsi censent) in Zorobabele conueniunt, & lineam Nathan describunt. Ex qua, tām beata Virgo per Refa , quām Diuus Ioseph per Abiud,

Abiud, originem ducebant. Quod erat tunc temporis Iudeis, genealogiarum studiosis, exploratum, atque comper-tum. Nam (ut iidem Auctores tradunt) posteritas Salomonis, septima genera-tione defecit. Nec sunt hæc, antiquis Scriptoribus ignorata. Nam hanc sen-tentiam attigit Augustinus lib. 2. quæ-stionum in Euangelia q. 5. & Auctor li-belli, De ortu Virginis. Qui siue Hiero-nymi sit (cui vulgò tribui solet) siue alte-rius: certè antiqui Auctoris est. Nec pla-cuit Aphricani sentētia Augustino (si is fortè libri illius Auctor est) libro quæ-stionum noui ac veteris testamēt. q. 56.

30 Et quando in re pia, pro afferen-da, & explicanda veritate, probabilibus coniecturis ut ilicet: ex his duabus tan-torum Doctorum sententiis, tertiam quandam aliam nostram, medium, & velutisequestrā, collocabimus. Quæ non à nobis, aut temerè, aut subitò) vt dixit Aphricanus): sed assidua, & conti-nenti meditatione excogitata primū: ac deinde delecta, & probata est. Arbitramur siquidem primū omnium cū priscis illis, & antiquis Patribus, Jacob, & Heli (quorum prior, apud Matthæū, posterior,

posterior, apud Lucam, pater Ioseph appellatur) fratres germanos, & uterinos fuisset, ex eadem matre Estha propagatos. Quae duobus, eiusdem tribus Iudeo, & eiusdem Dauidicæ familiæ, viris, Matham primum, ac mox eo extincto, Mathat, nupsit. Siue prior ille Matham, à Dauid per Salomonem genus duxerit (ut antiqui Patres existimant) siue per Nathan (ut recentiores credunt:) ex eaque filium Jacob procreauit. Hic verò posterior Mathat, per Nathan planè ex eodem Dauid propagatus, ex eadem uxore Estha, quæ ei, priori viro mortuo, nupsit: filium Heli suscepit. Negamus tamen, recentiores sequuti, Heli sine liberis defunctum: eiūque uxorem duxisse Jacob, ad suscitandum semen germani fratris sui, sine liberis defuncti, iuxta legem Deuter. 25. ex eaque Iosephum, Virginis Deiparæ sponsum, suscepisse. Verū cōtrà affirmam⁹, Jacob ex propria uxore, Iosephū sustulisse: Heli verò, siue loachin (sunt enim hęc Hebræis nomina synonima, ut superius probauimus. n. 28.) ex beatissima Anna sua cōiuge sacratissimam virginē Mariā suscepisse: q̄ interiecit deinde tpc, patrueli, & cō-

sobrinosuo, Ioseph, nupserit. Césemusque diuū Matthæū naturalē beatissimi Ioseph genealogiā texuisse: Cōtrà verò Lucā, seriēm naturalē progenitorū sacratissimæ Mariæ Virginis, prosecutum: Christumque, Seruatorem nostrū (vt recentiores, cum multis antiquis Patribus, sentiunt) ad Dauidis familiam, & genus, nō per Salomonē: sed per Nathan, pertinuisse. Aberrant enim valde, qui Nathan, natura quidem, Vriæ esse filium: adoptione autem filium esse Dauidis, arbitrantur, quòd Salomon unigenitum se vocet Prouer. 4. coram matre sua: cùm dictio (vnus) sepissimè Hebræis dicat ordinē, accipiaturque pro primo. Vna sabbathi, id est, primo die Hebdomadis. Vna mensis, id est, primo die mensis. Gen. i. quò loci nos legimus, Factumque est vespere, & mane, dies primus: Hebraica habent, dies unus. Hac igitur loquendi formula, vnigenitus usurpatur pro Primogenito Prouer. 4. & Primogenitus, pro vnigenito, inferius. n. 48. *Non cognoscet eam, donec peperit filium suum, Primogenitum.*

31 Sunt autē multa, quæ hāc nostrā sententiam vehementer probant, atque confir-

confirmant. In primis, quod hac ratione, omnia sunt sartatecta, & integra, quæ ad componendam hanc litem pertinent: & aptius, ac dilucidiùs, Matthæi, & Lucæ genealogiæ, in uicem cōcilian-
tur. Nec oporteat, aut contra urgentissi-
ma Scripturarum testimonia, Salomo-
nicam stirpem euersam, & funditus ex-
tinctam, affirmare: nec Reges, & proa-
uos Christi, qui sunt apud Lucam, bino-
mios, & trinomios efficere: ut moderni
faciunt. Nec contrà, in eas Legalis ado-
ptionis leges incurtere, quas antiqui
Patres prescribunt: quas (impudenter
quidem) calumniatur eas tamen O-
siandér.

32 Cæterū ab antiqua illa prisco-
rum Patrum sententia, hæc nos ratio
potissimum abduxit. Demus enim, v-
trūque Euangeliographum, Matthæū,
& Lucam, beati Iosephi genealogiam
recēsuisse: Matthæum quidem natura-
lem, Lucam verò legalem: vix potest
ingenio, aut ratione concipi, quid series
illa patrum, ab Abraham ad Iosephum,
vel à Iosepho ad Deum usque repetita:
ad Christum, Seruatorem nostrum, per-
tinuerit. Si afferas consuetudinem Scri-

pturarum, deducentium genealogias per viros, & non per fœminas: hoc planè ad rem faceret, si genealogia ducta per virum, ad eum, cuius gratia deducitur, pertineret. Verùm, cùm Christi Iesu, Seruatoris nostri, putatius tantùm pater fuerit, Ioseph non probaretur satis, Christum, esse natum ex semine Dauid, secundùm carnem: ea ratione: quòd Ioseph, qui secundùm naturalem generationem ad Christum nihil pertinebat, filius fuerit Dauid secundùm carnē. Nec suadet illa ratio: quod oporteret coniuges esse contribules. Tum, quòd tribus Regia Leuiticæ tribus, coniugia admitteret: tūm etiam maximè, quòd poterant quidem beata Virgo, & facer Ioseph, esse eiusdem tribus Iudæ: verùm non ex eadem familia Dauidica: cùm singulæ tribus, multas habuerint familias (quemadmodùm à nobis dictum est superiùs.) Sola enim vna, non dico tribus: sed domus Aaronis, 24. habuit familias. 1. Paralip. 24. & constat in Numeris, ac Paralipomenis. Diuini verò Euangelistæ demoststrandum suscepissent, Christum, Seruatorem nostrum, non solùm esse ortū ex

ex tribu Iuda: verum etiam, ex familia Dauid.


33 Quapropter, cum olim Adolescens, rem hanc altius cogitarem: & pro singulari nostra, erga sacratissimam Virginem, Deiparam, & beatissimum eius spousum, Ioseph, pietate, & affectu (sub cuius Diui sanctissimi tutela, & patrocinio, domus, & familia nostra paterna sita est: in cuiusque Aede sacra, lustralibus Baptismi aquis sumus abluti) & iterum, atque iterum, eam mente revoluerem: in eam cogitatione, & persuasionem, ductus sum, iam senex: ut planè crediderim, & diuam Virginem, & beatum Ioseph, altissima se consanguinitate contingere. Nam (ut dudum ostendimus) patrules, & consobrinie erant. Iacob namque beati Ioseph pater, & Heli sacerrimæ Virginis genitor, fratres germani, & veterini fuere, ex eadem matre, ex diuersis tamen parentibus prognati. Hinc est, quod genealogia Matthæi, ab Abrahamo ad Iosephum usque perducta, ad Christum quoque pertinuerit: quod omnibus compertum esset, Iosephum, Virginis Mariæ sponsum, & patruelē: & ipsam beatissimam

Virginem, Iosephi consobrinam, & Sponsam: Dauidicæ stirpis, & familiæ esse. Quòd si demus, posteritatem Salomonis, septima generatione in Ochotzia defecisse (vt obnoxè recentiores affirmant) & vtrumque Euangelista usque ad Zorobabelem conuenire: & posteros Nathan referre, à quo tām beatus Ioseph, quām sacratissima Virgo trahunt originem: profectò satis cōstat, plurimū ad Christum, etiam Iosephi, hominis sibi sanguine cōiunctissimi: genealogiā pertinuisse: nec eam frustrà, Matthæum prosequutum: cùm iure propinquitatis, vt primogenitam, & quæ secum in viri familiam transferbat hæreditatem, eò quod eius parētes masculam prolē minimè suscepissent (vt paulò superiùs diximus) diuus Ioseph eam duxerit, iuxta Legem. Nū. vltimo, quò loci nos legimus, cūctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient, vt hæreditas permaneat in familijs: Hebraica habent. Omnis filia, quæ possederit hæreditatem, ex tribubus filiorū Israël: erit in vxorem vni, ex cognatione patris sui. Probant etiam mirificè hanc nostrā sententiam, loca illa Euangelica: in quibus

quibus fratres, & sorores Domini memorantur. Quæ ad nepotes beati Ioseph, & beatissimæ virginis: hoc est, ad filios fratrum & sororum Diui Ioseph, aptissimè referri possunt: seruata monogamia beatissimæ Anne: & perpetua Diui Ioseph virginitate, & continencia. Quem non senem octogenarium, & pene decrepitum (vt vult Epiphanius) sed virum, ætate integrum, & triginta tantum annos natum, Virginem despondisse: non leuibus argumentis *in c. i. Lux* arbitramur: quæ alibi à nobis proposita sunt aptius. Nam & Eusebius, ex Euseb. lib. sippo, Cleopham fratrem esse affirmat, *s. Histor.* beati Ioseph: cui Maria illa, cognomine Cleophæ, cuius memoria celebris *Eccle c. II.* *ex Egesip-* est in Euangelio: nupta fuerit. Quibus dæbus, non est in præsentiarum fusiis disputandum.

34 Ea verò, quæ Paulus de interminatis genealogiis, quas, quæstiones magis quam ædificationem præstare, ad Timotheum affirmat: & Titum aliquoqens, vitandas esse docet: ad nos nō pertinent: quemadmodum illis in locis facri interpretes ostendunt: & eruditè Augustinus, statim in limine secundili-

bri contra Aduersarium Legis, & Prophetarum: Qui hec eadem loca, aduersus veteris instrumenti fidem, & authoritatem, producebat: ita inquiens. Nescit autem, habere preter Scripturas legitimas, & Propheticas, iudeos, quasdam traditiones suas: quas non scriptas habent, sed memoriter tenent, & alter in alterum loquendo transfundit: quam Deuteronomio vocant. Vbi etiam dicere audet, & credere: Deum primo homini, duas creasse mulieres: ex quibus texunt genealogias, vere (sicut ait Apostolus) infinitas, parientes in fructuosis simas quæstiones. Haec tenus August.



SUPERIORIS
Euangelici fragmenti moralis synopsis.



N hac Christi genealogia ad viuum contemplari possumus, mundi, ac earum rerum quæ in ipso magni habentur,

bentur, & suspiciuntur, vanitatem, inconstantiam, vicissitudinem, atque fragilitatem. Quæ enim nunc in summo Hispaniæ Altiburos
pretio, & honore habentur: atque humanæ æstimationis, & gloriæ culmen del mundo
attingunt, & fastigium obtinent: paulò Comiença
post aut ætate, aut bello, aut ipsarum de Princi-
rerum humanarum incōstantia, & im- pes y Re-
becillitate concussa, & labefactata, mi- yes y para
serè planè corruēt, & excindētur. Cœ- en officia-
pit quippe Christi genealogiam Mat- les, y car-
thæus à Patriarchis Regibus, atque pateros.
Principibus: *Liber generationis Iesu Christi,*
filiij David filij Abraham &c. quam tādem
in Fabris lignariis, & Opificibus termi-
nat. *Mathan* (inquit) *genuit Jacob, Jacob autē*
genuit Joseph, &c. Ut eleganter à Platone
dictum sit sanè: nullum vñquam exti-
tisse sceptrum, ligonis expers: nec con-
trà ligonem, ad quem non aliquando
Regni sceptrum pertinuerit. Quapro-
pter non abs re mundi gloria, statuæ il-
li, quæ visa est à Nabucdonosore, con-
fertur. Tum, quòd Colossi ea sit natura,
ut exterius quidem, numinis alicuius
speciem præferat: interius verò, saxis
ingentibus, trabibus, aranearum præ-
terea telis, atque ruderibus, sit plenus.

Tùm quòd statua illa, caput, principiūmque habuerit aureum: pedes verò luteos: hoc est, finem sine honore (vt ait Paulus.) Nam si hi, quibus extraria specie mundus blanditur, intimas illius sordes, edaces curas, turpemque & infœlicissimum exitum earum rerū, quæ pollicetur, penetrarent, atque perspicerent: proculdubiò eius præstigias vehementer execrarentur. Intelligerentque, quantis fluctibus, atque procœllis obruantur, qui in eo eminere, & plurimùm posse iudicātur. Vt verè scriptū sit: *Gemunt gigantes sub aquis &c.* Nani in maligno politus est: idest, sine firmo fundamento: *fundado sobre falso.* Et nihil preter ambitionem, libidinem, & cupiditatem habet (vt ait Ioannes) & tandem vana isthèchuius Colossi figura præterit. Verte oculos ad potentissimas illas, orbis terrarū Monarchias: ad celeberrimos Imperatores, & Reges: ad florētissimas, & opulentissimas vrbes: ad ipsa denique septem decantatissima mundi miracula: & perspicuè deprehēdes, ea omnia quæ mirata est antiquitas, aut è stirpe interijsse: aut vix tenuissima quædam earum rerum vestigia super-

superesse. Quòd si mundus hic per se esset æternus (vt rudes quidam rerum diuinarum Philosophi sunt arbitrati) satis erat ad auocandos mortalium animos ab eius fluctibus, solicitudinibus, & curis, vitæ huius breuitas: quæ illum nobis reddit momentaneum (nam breve est, quod finem habet) & firma æternitatis spes, quam eo calcato, atque neglecto, per Christum pij omnes, nec falso, nec inaniter animo cōcipiūt. Quod non ineleganter cecinit Prosper Aquitanicus, his versibus.

Vltima quæque vides.

Et si concluso superessent tempora seculo,

Vt posset longos mundus habere dies:

Nostamen, occasum nostrum obseruare deceret.

Et finem vitæ, quémque videre suæ.

Nā mihi quid prodest, quòd longo flumina cursu,

Semper inexhaustis, prona ferantur aquis?

Multa quòd annosæ, vicerunt secula siluæ:

Quodque suis durant, florea rura locis?

Ista manent nostri, sed non mansere parentes:

Exigi vitam temporis, hospes ago.

Nō ergo hic sumus, nec quicquam in secula nati:

Quæ pereunt nobis, & quibus occidimus.

Sed vitam æternam, vita mereamur in ista:

Vt subeat requies longa, labore breui.

Hactenùs

Hactenùs Prosper. Quò pertinere putamus verba illa Psalmographi. Ecce mensurabiles posuisti dies meos: & substantia mea, tanquam nihilum, ante te. Per mensurabiles siquidem dies, explicat Interpres voculam Hebraicam (*Thepakkoth*) qua exiguam quatuor digitorum mensuram: hoc est, palmi minoris, Iudæi significant: ut beneficus, & munificensissimus Deus, qui adeò propenso est animo, ad effundendas in genus humanū opes, ac diuitias suas, liberalissimè: in vna hac re (nempe in proroganda vitæ meta) parcus quodammodo extitisse vicē. *Quā deatur.* Cætera quippe omnia, veluti effuso copiæ cornu, copiosè, vbertim, atque magnifice mortalibus cōtulit, vlnæ mensura usus: vitam tantum parcè digitis est metitus. Iure ergò diuinæ literæ tradunt: homini iustæ magnitudinis (& ut plerique opinantur) molis Giganteæ, ex argilla condito; Deum optimum maximum spiraculum vitæ tantum inhalasse, & contulisse: ut mortalitatis quidem multum: vitæ vero minimum, nempe halitum, illi tribuisse videatur. *Diole mucho de muerte, y vn soplode vida.* Quid enim est aliud vita nostra! (inquit Iacobus.) V-

*Hispani-
cè. Quā
to Diodio
alombbre
midio a-
uatas. So-
la la vi-
da a dedo.*

*Hispani-
cè. mun-
chode mu-
erte, yun
soplode
vida.*

por est, ad modicum parens: & deinceps, aut cōfestim, exterminabitur. Quāobrē elegāter à diuo Iob dictum est. *Homo natu-*
rus de muliere, breui viuens tēpore: repletur multis
miserijs: aut (vt alij vertūt) affatim habens
turbarū. Et p verba illa (& substātia mea)
expressit Hebraicū, Cheldi, quod nō in-
elegāter Annotatores Cōplutenses ver-
tūt: Et mūdus meus, tanquā nihilū, ante
te: vt sensus sit. Etsi mūdus sibi esset cter-
nus: si tamen mihi comparetur, qui bre-
ui sum illum relicturus: aut tibi Domine
qui verē es æternus: erit tanquam nihilum. Nam dē vniuersa rerum vniuersi-
tate, & mole: alibi scriptum est. Omnes
gentes, quasi non sunt, sic sunt coram eo: & quasi
nihilum, & inane, reputatæ sunt ei.

36 Damnat præterea hæc Christi genealogia, ex gentibus, & peccatoribus ducta, nimiam quorundam arrogatiā-
 tiam: qui cùm nihil vñquam præclaris ediderint; eo solūm nomine glorian-
 tur, quòd nobili & generoso orti sunt san-
 guine: vt olim Iudæi, filij Abrahæ sumus.
 Ex eodem tamen seminis grano, diuer-
 sa pullulant spicæ: hæc quidem elegans,
 & plena: illa verò lurida, & vacua. Con-
 solatur etiam peccatores: quibus resipisci-

centibus, non vulgaris locus est apud Christum. Recipit námque peccatores: & gaudium est in cælo super vno peccatore, pœnitentiam agente. Ostendit pariter ingens illud sacramentum vocationis gentium , quod tantoperè celebret Paulus , Ephesiis scribens , in hunc modū. *Sicut nunc reuelatum est sanctis Apostolis & Prophetis, in spiritu: gentes esse cohædes, & concorponales, & comparticipes promissionum eius in Christo Iesu, per Euangelium.*

37. Ostendit tandem verbi Dei fidē, firmitatem, atque constantiam: cùm tandem re exhibuerit, quod tantò antè promiserat per Prophetas suos , in scripturis sanctis , de filio suo : qui factus est ei, ex semine Dauid , secundūm carnem. Hinc est, quòd tantoperè archanæ literæ iactant verbi Dei firmitudinem, fidē, ac veritatem: quæ per Christū facta est. veritas enim Domini, & verbum Domini, manent in æternum. Quapropter, ab hac promissionum suarum fide , & constantia: nomine planè ineffabili vocatur *Iehouah* , id est , qui stat promissis: qui cùm sit: facit esse , & re præstat, ac exhibet, quæ verbis est aliquando pollicitus. Hoc est autem omnino ineffabile: quod tam

tam sancte , tantoque studio , fidem , & veritatem Deus colat : cum hominibus agens foedifragis , diligentibus vanitatem , & quarentibus mendacium : de quibus verè scriptum est . *Vani filij hominum : mendaces filij hominum in statenis , ut decipient ipsi de vanitate , in id ipsum . Hoc est , Qui si simul cum mendacio , & vanitate appendantur in bilanci : multò inuenientur ipso mendacio mendaciore , & ipsa vanitate inaniores . Hoc est , quod vehementer cupidus Almus , mortales imis suis pectoribus recondere . Nam cùm Isaï . cap . 40 . verba illa consolationis , & iucunditatis plena , præmisisset , *Consolamini : consolamini popule meus &c.* post aliquot periodos addens , *Reuelabitur gloria Domini , & videbit omnis caro , quod os Domini loquutum est :* (gloria quippe Dei reuelata , Verbum , caro factum , est) tandem se auribus hausisse vocem profiteatur , dicentem : *Clama . Vox dicentis : clama . Vox inquit , dicebat , clama . At ego non ignarus , quantum afferat saeris vatibus turbarum , Verbum Dei sincerè proclamatum : dixi . Quid clamabo ? Omnis caro fœnum : & omnis gloria eius , quasi flos agri . Exiccatum est fœnum , & cecidit flos : quia spiritus Domini sufflauit**

sufflauit in eo. Verè fœnum est populus. Exiccatū
 est fœnum, & cecidit flos: verbum autem Dei
 nostri manet in æternum. Reformidabat qui-
 dem diuinus Vates (vt Hieronymus an-
 notauit) diuini verbi vaticinationem,
 atque præconium: memor quām mālē
 illi cessisset, prior illa sua animositas:
 cùm audiuīt vocem Domini, dicentis.
Quem mittam? & quis ibit nobis? Ipsé-
 que iam purgatis labiis, se muneri pa-
 rem existimans: ad subeundum vatici-
 nandi officiū, sponte se obtulit, inquiēs.
 Ecce ego: mitte me. Existimabat nám-
 que Propheta, se festinam aliquā, atque
 iucundam nuntiationem, suo populo
 allaturum: eius ea ratione, gratiam ini-
 turus. Verùm longē aliter res accidit,
 quām ipse principiō animo destinaue-
 rat. Iussus est enim, nuntium ferre graue,
 & genti Israëliticæ peracerbum, *Vade*
 (inquit) & dices populo huic. *Audite audiен-
 tes, & nolite intelligere &c.* Cúmque huius,
 usque adeò seueræ sententiæ, lenimen-
 tum aliquod à Deo postularet: optans,
 vt hæc populisui obduratio, & obceca-
 tio, breui tātūm aliquo temporis spacio
 duraret: dixit. *Uſquequo Domine?* Cui re-
 pulsam passo, durissimum hoc redditum
 est

est oraculum. Donec de solentur ciuitates abs-
 que habitatore, & domus sine homine, & terra
 relinquatur deserta. Nihil ergo mirū, quod
 cunctetur nunc diuinus Vates: & prius-
 quam diuina Oracula Hebræis propo-
 nat, rationem cum Deo ipse inire velit,
 & doceri, quænam sint eius nomine si-
 bi cum populo Israëlitico transigenda.
 Et dixi (inquit) quid clamabo? Trepidat
 enim, & timet, ne nuntium aliquod in-
 faustum, & execrabile, ad suos deferre
 iubetur. Verum, nihil est quod verear is
 (inquit Spiritus sanctus) nihil quod for-
 mides Isaïa: optatissimam namque & fœ-
 licissimam nuntiationem afferes, & re-
 nuntiabis gēti tuæ. Omnis caro fœnum
 &c. Sensus est. Cùm tam despici sint
 mortales, & tam nihili: ut qui maximè
 inter eos ingenio, honore, opibus, & po-
 tentia pollent (quales sunt principes) si-
 miles sint herbarū floribus (fœni quip-
 pe nomine, gramen, & herbas, diuinæ li-
 teræ significat) qui à feris etiam, & bru-
 tis animantibus, impunè conculcantur,
 & eduntur: vulgus verò mortalium si-
 milis sit herbis ipsis (verè enim fœnum
 est populus.) Et cùm tot se flagitiis, at-
 que sceleribus, genus humanum conta-

minauerit, conspurcauerit, atque corru-
perit: ut iure esset formidandum, ne ho-
minum sordibus, atque perfidia deter-
ritus Deus, ab assumendæ carnis propo-
sito, atque consilio abstineret: Verbum
Domini manebit in æternum. Idest, sta-
bit adhuc promissis, quibus nunquam
haçtenus ex bono & æquo genus hu-
manum stetit: seruabitque pacta con-
uenta, quæ nunquam à mortalibus bo-
na fide seruata sunt: & tandem homo
fiet, tempore à patre præfinito: quæ vna
res, vniuersas diuini numinis pollicita-
tiones complectitur: quia verbum Do-
mini manet in æternū. Hanc verbi Dei,
& diuinorum promissionum fidem, sta-
bilitatem, atque cōstantiam: docet hæc
Christi genealogia, tot generationum
serie ducta: cùm tot annis, atque tempo-
ribus exactis, re tandem exhibuerit Deus,
atque præstiterit, quod olim verbis fue-
rat pollicitus. Quamobrem à Ioanne in
Apocalypsi, Amen, Sanctus, & verax
vocatus est. Et ipse sese in Euangelio,
viam, veritatem, & vitam, appellauit.

Scholia in sequentem sacri Euangelij contextum.

38 **I**oseph virum Mariæ &c.) Almæ Virginis sponsum : & filij Dei

nutritium, ac putatuum patrē Iosephū, verisimile est, vniuersos mortales religione, pietate, iustitia, ac veris virtutibus superasse: ut quemadmodū in legitimam, & veram matrem, delecta est Virgo sacratissima, omni pura creatura præstantior, & excellentior: ita in eius sponsum, & filij sui Iesu creditum patrem (à quo in sinu gestatus, nutritus, & sæpiissimè exosculatus est in illa tenerima ætate, quæ & pulchritudine, & innocentia, mortalibus solet esse gratissima) cunctis (suæ saltem tēpestatis) hominibus, multò sanctior, & æterno Patri gratiior, fuerit.

39 *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.*) His paucis verbis cōplexus eit Matthæus, quidquid æncomiorū, in beatissimæ Virginis Mariæ Theotochu prædicationem, conferri potest. Ea námque omnia, quæ ad eius gloriam celebrandam, aut mens humana concipere, aut

lingua eloqui, & efferre potest: multò sunt infra matris Dei titulum, & dignitatem. Quò fit, vt nō abs repietas Christiana illi concedat, quicquid fauoris, & gratiæ, quicquid dignitatis & excellentiæ, vlli puræ creaturæ (cuius modò cæ pax sit sexus fœmineus; & humana natura) concessum est: vt sunt, nomen (Deo reuelante) ab Angelis prædictum: ortus ex infœcundis parentibus: educatio sacrosancta inter Ædituos in templo, singulari virtutum omnium demonstratione, & indole. Cui addunt conceptum, absque natuæ, & originalis culpæ labe: perpetuam virginitatem: vitam impollutam, & totius peccati expertem: virtutes, non eas, quas, aut purgatorias, aut purgati animi dicunt: sed heroicas, & summas. Assumptionem denique ad filium (degustata quidem morte, sed mox vita restituta) in anima, pariter & corpore. Tanta porrò gloria, speciosissimum triumphum agens, cælum inuecta est: ut verè sancta mater Ecclesia canat. *Exaltata es sancta Dei genitrix, super choros Angelorum, ad cœlestia regna.* Ostendit autem aperchè hoc loco, Christi Iesu generationem, ad Iosephum minimè pertinere. Cùm enim

enim præmisisset, *Iacob autem genuit Ioseph, virum Mariæ: non intulit, Ioseph autem, genuit Iesum: verūm mox addidit, virū Mariæ: de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Vsurpauit verò more Hebraïco, vocari, pro esse. Sic Luc. i. *Hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis: de qua paulò superiùs dixerat. Et quod Elizabet̄ esset sterilis, & ambo processissent in diebus suis. Qui vocatur Christus: id est, qui est Christus.*

40. *Cum esset despōsata &c.) Nuptiæ celebratae sunt inter diuam Virginem, ac beatum Ioseph, maritalis congressus penitus expertes. Sola enim indiuisibili animorum coniunctione, quæ prima, & præcipua est matrimonij dignitas, & ratio, & forma: fuerunt contenti. Quapropter rationi cōsentaneum est, hos sacramissimos coniuges, Deo reuelante, & cōmuni consilio, virginitatem, & perpetuam continentiam, numini deuouisse. Hoc explicant verba illa Mariæ ad Angelum. Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco. Quò loci more Hebraïco, cognosco, pro cognoscam: hoc est, præsens pro futuro collocatur. Aut certè ea loquendi formula, qua vulgò dicimus. Nō*

Quod de
beata vir
gine affir
māt: Gre.
go. Niss. o
ra. de Na
tiuitate
Domini.
Aug. lib.
de S. vir
ginitate
Ber. in
sermo. si.
guum.

Tho. 3. v
q. 28. s. 34

comedo carnes: Non bibo vinum: id est, perpetuò à vino, & carnibus abstineo: nunquam comedam carnes, nunquam bibam vinum: dictum est, virum non cognosco, id est, non cognoscam. Alioqui nihil difficile afferebat legatio Gabriel nuptæ virginis, ni perpetuæ virginitatis votum iam animo concepisset. Nam etsi virgo tum esset intacta, & incognita viro: poterat tamen facile deinde cognosci.

41 Nec decet curiosius huius initi, inter diuos, Mariam & Ioseph, matrimonij, rationem inuestigare. Nam cum Deo statuente initum sit: non potest non ratio esse æquissima, & honesta. Quidam publicam honestatem, alij Virginis indemnitatem, alij sacratissimæ prolis decus, iustas, & religiosas causas huius matrimonij, prætexerunt. Alij, hac ratione Dæmonibus tenebras effusas, arbitrantur: ne in diuinæ Incarnationis adyta penetrarent, & Deum carne velatum, cognoscerent. Quod planè Deus potuit efficer. Virgine etiam sacrosancta manete innupta: illos intellectili acrizia feriens, ut olim sensili Pentapolitanos, Syrosque percussit. Hi enim Samariam, in cuius

ius erant conspectu, subductis à Deo ab eorum oculis, vrbis imaginibus: eam minime cernebant: cùm cætera omnia perspicue, & aperte contemplaretur: nec illi ostium domus Loth, videre potuerunt. Nam contracto matrimonio, Demones, in agnoscenda Mariæ virginitate, ludificatos fuisse: dici quidem potest: probari, & intelligi, non potest. Quamobrem, semper mihi visum est, hanc fuisse diuinæ Sapientiæ, in primo, & humili Scrutatoris aduentu, œconomiam: hoc diuinū consilium, atque propositum: vt cùm omnia essent diuinis sacramentis plena in recessu: nihil fermè extra vulgarem rerum cursum, fronte promitterent: vt extima hac humilitate, veluti Sylenis Alcibiadis, immensa rerum archana tegerentur. Quapropter, cùm multa, atque præclara, in ortu, & infantia Saluatoris, edita sint miracula: vt sunt, carmina Angelorum: Pastorum Euangelizatio: ortus stellæ, quæ Magos ductauit ab Oriente: clarissima testimonia, Christo redditæ, à Zacharia, Elisabetha, Symone, Anna: Denique à Ioanne, nondum in lucem edito: nō placuit diuino numini, vt hæc, & multa alia præclara, & illustria, mul-

tis: sed quā paucissimis nosceretur. Scriptum quippe erat. Egressetur ut virgultum, coram eo: & sicut radix, de terra sitiente. Hoc est: despicatus, & spretus, & qui nihil magnum præferat. Et iterū. Omnis violenta prædatio cum tumultu, & vestimentum mixtum sanguine &c. Et sequitur. Parvulus enim natus est nobis. filius datus est nobis: & factus est principatus super humerum eius. Id est, non inferendo, sed patiēter ferendo illatas iurias: sine strepitu, & tumultu militari: suo marte, & suis sumptibus palmam feret, & triumphum aget, detrudentissimis generis humani hostibus, peccato, morte, & Satana.

43 Antequām conuenirent, inuenta est in utero habens, de Spiritu Sancto, &c.) Observandum est, (quod etiam Chrysostomus annotauit) hæc omnia contigisse post ortum beati Ioannis, & redditum sacratissimæ Virginis ab Elizabeth. Verbum verò (conuenirent) coniunctionē naturalem significat. Græca enim habet τονισμένην. idest, priusquam congregerentur, aut, congressi essent. Vocabula porrò illa, antequām, rem inexpectatam, & admiratione dignam, explicat. Minime verò reddit suspectam

Almæ

Almæ Virginis pudicitiam & perpetuā virginitatem: quemadmodūn impijissimus Heluidius, turpiter est arbitratus. Verūm ea loquendi formula scriptum est, Antequām conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto: quæ dicis olet, Antequām Iudices causam cognouissent, sententiam tulerunt. Nā secundūm consuetum, & debitum naturæ ordinem, ante viri congressum, mulier vterum gestare non potest. Explicat etiam hæ voces, ante, antequām, priusquam, & similes, nonnunquam, nō rei consequentiam: verūm ea, quæ priùs cogitabantur. Quemadmodūm si quis dicat Petrus, antequā pœniteret, obiit. Non est sensus, quod post mortem pœnituerit: sed quod priusquam præstaret pœnitentiam, quam meditabatur, & instituebat: morte fuerit interceptus. Porrò, illud (de Spiritu sancto) non potest coniungi toti sententiæ præcedēti (Antequām conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.) Nihil enim erat, quod hæsitaret Ioseph: si compertum habuisset, Virginem vterum gestare de Spiritu sancto. Sed est pulchra diuini Evangelistæ subiectio (quatacitæ obiectioni

respondet) & anticipatio. Inuenta est (inquit) iñ vtero habens. Verùm, ne quis offendatur: intelligat, eam vterum gestasse è Spiritu sancto. Nam vterum habere, pro gestare: Græcismus est.

43 *Ioseph autem, cùm esset iustus, & nolleat eam traducere. &c.) Iustorum est benignitas, atque clementia. Non enim mirantur, nec euulgāt aliorum lapsus, nec sœuiunt in labētes: verùm eis ex animo condolent. Sic Christus Redemptor noster, ad mulierem, adulterij ream. Vbi sunt, qui te accusabant? Nemo te condemnauit? Nemo Domine. Nec ego te condemnabo. &c. Nulla enim lex sacra (vt censem Augustin. Sermone. 16. de ver. Domini, & Epist. 54. ad Macedonium) cogebat virum, ad deferendam, & publicandam coniugis impudicitiam: vt constat Leui. 20. & Deuteron. 22. Nam quod in Deuteron. scriptum est: Si dormierit vir cum vxore alterius, vterque morietur (idest, adulter, & adultera) & auferes malum de Israël: potius videtur ad Iudices pertinere, quàm ad cōiuges. Scio, dissentire Hieronymum, & Theophilactum: Hieronymum quē vt iteſtimonio.c. quinti Leuitici, *Si quis audierit**

vocem iurantis. &c. Verum locus ille ex professo agit de eo, à quo legitimus iudex (ut à conscio causæ, quæ in iudicio versatur) exigit iuramentum: cui fas nō est, tacere veritatem. Quapropter, certior videtur sententia Augustini. *Et nolle let eam traducere.*) Græca habent. παραδηματισσαν. Quam vocem quidam vertunt, infamare: alij, propalare: alij, palam facere, ac punire. Alij (qui proprius ad Græcæ vocis significationem accedit) vertunt, exemplum facere: quod, traducendi verbo, latinissime ab Interprete explicatum est. Sensus est. Cùm esset iustus, & nolle trem prodere, ne publicè in Virginem, tanquam in adulteram, animaduerteretur: voluit eam occulte (nempe per libellum repudij: qui etiam priuatim dari poterat: aut paucissimis cōsciis, & ea explicata causa, quam maritus maluisset) dimittere. Nam (ut in Proverbiis scriptum est.) *Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum: qui autem tenet adulteram, stultissimus est.*

44 *Hec autem eo cogitante &c.*) Verbum cogitandi, explicat insignem dñi Iosephi prudentiam, & pietatem Vir enim expertus (ut in Ecclesiasticis scriptum est)

est) cogitabit multa. Non præcipitauit sententiam: nec rem tanti momenti, & quæ tantopere famam sacratissimæ puerlæ lædere, & denigrare poterat, cum aliis contulit: sed grauissimas curas, alto pe-
store premens, consilium à Deo postu-
labat. Quem Deus, archanissimi sui cō-
silij, mox per Angelum certiorem fecit.
Nec verisimile est, sacratissimam Virgi-
nem sponsi sui fluctus, & hæsitationem,
minimè sensisse. Verùm diuinæ literæ
subindicant, quòd illi, in tanta dubita-
tione, sibi bene conscientia, non satisficerit:
quòd res omnem humanam credulitatē
superaret: & quòd pijs plerumque soleāt
animo omnino resignato, curas, & ne-
gotia sua, in Deum reijcere: iuxta illud
Psalmi, *Iacta super Dominum curam tuā &c.*

45 *Vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim sal-
uum faciet populum suum, à peccatis eorū. Ethi-
mon est dulcissimi, & sacratissimi nomi-
nis Iesu (quicquid deblateret perfidus
Osiander) quo ostendit, nasciturum in-
fantem, verum esse Deum: cuius pecu-
liare munus est, abolere peccata. Isai.
43. Job. 14. Matth. 9. Marc. 2. Luc. 5,
Ioan. 5. Hebraicè autem scribi potest.
יְהוּא יֵשׁוּעָה: & יְהוָה יְהוֹשֻׁעָה: et si primo
modo*

modo sine litera, cheth, in titulo Crucis Christi, quod est Romæ, in Æde Sanctæ Crucis in Hierusalē, scriptum sit. Quapropter Galatinus, & plerique alij contendunt, Iesum filium Num, & Iesum filium Iosedech, Sacerdotem magnum, & Iesum filium Sydrach, egregium Cōcionatorem, atque Theologum, à quo Ecclesiasticiliber scriptus est: non vocatos *Iesuah*: sed cū litera, cheth, *Iehosuah*. Ideoque, Christo conuenire, quod ab Isaïa scriptum est: *Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit.* &c. Quem locum inferiùs attingemus copiosius. Et rectè alij, non de Christo: sed de Ecclesia explicant. Cæterūm Galatinus censet, egregios illos viros, typos Christi fuisse. Prior siquidem subactis hostibus, Hæbræos, in terrā à Deo promissam, inuexit: referens Christum, qui excisis humani generis hostibus, peccato, morte, & Satana: corumque euersa tyrannide: mortales, cœlos inuexit. Posterior, templi funditus euersi, atque destructi, ruinas reparauit, & erexit: adumbrans Ecclesiæ structuram sacro-sanctam, quam è Synagogæ ruinis Christus construxit. Postremus, egregiis sententiis

tentiis, atque doctrinis, legentium animos instruit, & ad meliorem viuēdi rationem instituit: explicans Christi Iesu Euangeliū, Christianam Philosophiā, atque doctrinam, qua mirificè piorum animi excoluntur. Typi ergo, *Iehosuah*: idest, Dominus saluabit, appellatiū. Veritas autem ipsa, ab eis obumbrata, & expressa, *Iesuah*, idest Saluator ipse, aut salus, appellata est. Et certè Orthographia illa Hebraica Galatini, nisi in Esdra, in libris aliis veteris Instrumenti vera reperitur. Apud Esdram tamen, Iesu filij Iosedech nomen, sine cheth, scriptum est. Reuclinus de verbo mirifico, & alij censem, scribi debere cum litera Cheth, quod à nomine tetragrammato *Iehoua*, (à quo Iouis nomen, Aethnico etiā traxisse, multi contendunt) dulcissimum nomen Iesus, hoc est, *Iehosuah*, dūctum sit. Quod probant ex modo Compendiario, quo sic. i H s. apud omnes, tam Græcos, quam Latinos, scriptum est. Nec illos mouet Orthographia, quæ hodie in Crucis titulo Romæ cernitur: propter imperitiam illorum, qui eas literas in ligno expresserūt. Dicūt ergo, nomini ineffabili addi tan-

tūm

tum literam, Sim, quam vocant, literam clementiae, quod formam habeat lampadis oleariæ: hanc scilicet & Ea enim sola litera, nomini (*Iehouah*) interiecta: efficies nomen (*Iehosuah*): ut nomine ineffabili, diuinitas: litera autem illa, Sim, humanitas declaretur. Huc referunt locum illū Exodi. 6. Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, & Jacob, in Deo omnipotente: & nomen meum, Adonai, non indicaui eis. Quem nos Commētariis nostris in Exodum, fusiū sumus interpretati. In eo quippe tria, ex potissimis Dei nominibus, collocantur. El, Saddai, & ineffabile, *Iehouah*, El, fortitudinem. Sad-dai, omnium bonorum copiam significat, & animum propensissimum ad com-municandas suas illas opes inexhaustas, mortalibus. *Iehouah*, verò (quod, nomen est ineffabile) quidam censem, nihil si-gnificare: sed radicem tantum esse no-minum Diuinorum. Alij, ab essendo, id nomen ducunt: & interpretantur, qui essentiat (si sic latine dici potest.) Alij, v-nus omnia. Alij, omnia vniter. Verū Hebræorum doctissimi affirmant, nomi-ne hoc sacro sancto, quod à radice, *haia*, ductum est: significari eum, qui cùm sit,

facit

facit esse, scilicet, sua promissa: vt *Iehouah* significet eum, qui stat promissis: & re, ac opere præstat, & exhibet, quæ pollicetur. Apparuerat igitur Dominus Patribus, in Deo omnipotente (*El Saddai*) hoc est, indicauerat illis effecta potentiæ, & opum, ac diuitiarum suarum: præstiterat, & exhibuerat se illis fortem, diuitem, ac opulentum. Fortem quidem: clarissimas illis victorias, exigua manu, aduersus hostes præstante: qualis illa Abrahami, aduersus quatuor Reges, qui Pentapolitanos eucrterant (quorum, Amraphaëlem, quidam Ninum: alij, Nimbrotum fuisse, ferunt. Opulentum verò: eos, inter exterios, multis diuitiis locupletando. Cæteium nomen suum Adonai, (nam nomen, Adonai, Hebraei ob reuerentiam, ineffabili substituunt) nomen suum, *Iehouah*, non indicauit eis. Idest: cùm illis multa esset pollicitus, de posteritate scilicet numerosa: & de possessione terræ Chanaanitidis: de regno æterno &c. nihil fermè præstiterat. Hæc autem omnia, & quicquid generi humano præstari poterat: exhibuit, præstādo filium: qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de cœlis,

cœlis, & homo factus est. Vocatus autem (vt hiauctores censent) ab hoc nomine ineffabili, Iesus, aut (*Iehosuah*) eò quod homo factus fidem Dei liberauerit, reque ostenderit diuinorum pollicitationum veritatem, firmitatem, atque constantiam. In hanc sententiam (cùm esset pia) multa ex Sybillinis Oraculis, & ex variis Autoribus, concessimus in Cathechismo nostro Hispanico, Discursu. 8. Veruntamen, tūm ex Orthographia Hebraica nominis, *Iesuah*, tum ex ethimo Angeli: videtur, nomen, Iesu, duci à verbo, *Iasah*, quod est saluare: nam literam (haim) quam nomen, *Iesuah*, habet, nomen ineffabile non recipit. Diuus Basilius in exercitamentis linguae Græcanicæ, dulcissimum nomē Iesu formari putat à futuro *ἰασο*. & verso in , n , à verbo *ἰασο* quod est , mederi. Ipse est enim Deus sanator, aut medicus noster. Exod. 17. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus nostris, & sanat infirmitates nostras. Quapropter, non abs remittatur diuinus Vates, homines peccatorum morbo laborantes: cùm tanta resinae copia, & talis medicus sit in Galaad. Mirum quippe est, quod Deum ipsum , Seruatorem, &

medicu[m] sortiti: tam miserè, & turpiter
pereamus.

46 *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est à Domino. &c.* Hoc loco, & similibus, particula illa, ut, non dicit causam: sed rerum consequentiam. Non enim factum est, quia prædictum erat. Sed contrà vaticinatum, atque prædictum, quia futurum. Sic Gen. 40. Cùm somni à Ioseph interpretati euentus explicaretur: scriptum est. Restituitque alterum in locum suum, ut porriget ei poculum: alterum suspendit in patibulo, ut coniectoris veritas probaretur. Non enim id accidit, ut coniectoris veritas probaretur: sed contrà, ex harum rerum euentu, probata, & periclitata est fides coniectoris. Hinc disces, quām verè à Paulo dictum sit: *Finis legis, Christus.* Et à Luca: *Huic omnis lex, & Prophetæ, testimonium perhibent.* Et à Ioanne: *Sic crederetis Moysi: crederetis utique & mihi: nam de me ille scripsit.*

47 *Ecce virgo concipiet. &c.*) A pertissimum testimonium, de perpetua virginitate sacratissimæ Mariæ. Nam cùm virginis partus, in signum mirabile, à Deo ipso propositum fit: quòd longè superet, ea quæ in celo sursum, siue in terra deorum

sum poterant, aut accidere, aut ab homi-
 nibus postulari: apertissimè probatur, ser-
 monem esse de partu Virginis incorru-
 ptæ, manente integritate. Hoc probat
 efficaciter vocula Hebræa, *Alma*, quam
 Septuaginta *ωαρτεύος* verterunt, cum ar-
 ticulo præpositiuo, *ha halma*, Qui profe-
 ßò Articulus (quem admodùm Epiph-
 ario, Hieronymo, Cyrillo, & Augustino,
 placet) nunquam præponisolet, nisi ad
 declarādam notæ rei dignitatem, & ex-
 cellentiam, atque præstantiam. Quapro-
 pter, Articulum. *Cheth.* quem Hebræi,
 voci, *Alma*, præponūt: vocant, *Cheth haie-*
dia, id est, cheth notitiæ, quòd nō nisi re-
 bus insignibus, & illustribus, quatū ma-
 gna, & præstans notitia habeatur, præpo-
 nisoleat. Quamobrem, cùm sæpe ea di-
 gitio, diuinis in literis collocata sit: tribus
 tantùm locis Articulum habet præposi-
 tiuū, Gen. 24. cùm de Rebecca esset ser-
 mo. *Puella decora nimis, virgóque, Ha halma,*
pulcherrima. Et vt omnem tolleret ambi-
 guitatem: per insinuationem explicat,
 quid nomine *halma*, id est Virginis, sit
 intelligendum: addens, *Et incognita viro.*
 Et Exod. 2. cùm sermo esset de Maria, so-
 tore Moysis quæ illum, aquis expositum,

Epiph.

in heresi.

Samati.

Hieron.

Math. 21.

Cyri. li. l.

in Ioan.

c. 4. Aug.

q. 115. &

q. 116. in

Gene.

obseruabat: cùm esset ipsa decennis(iuxta eorum calculationem , qui ei plures annos tribuunt) & clara vaticinio , vt Philoni placet , scriptum est. *Et perrexit puella, ut vocaret matrē.* Quò loci, pro puerilla, Ha halma positum est. Et. 7. hoc capite lsaiae , cum dicitur. *Ecce Virgo concipiet,* &c. Quapropter exploratum est hoc loco nomen *halma* , non solùm Virginem absconditam, quod , nomen ipsum præfert, à radice, *halam*, idest, abscondere, occultare &c. & intactam significare: verùm etiam Virginem, claram sanctitate, & illustrem, cuius nomen, celebre, & memorabile sit. Verùm hæc alibi copiosius.


48 *Et nō cognoscet eā, &c.)* Epiphanius lib. 3. Hæresi. 78. & alij , verbum cognoscendi, referunt ad perfectam, & exactam cognitionem excellentiæ , & dignitatis beatissimæ Mariæ: vt sensus sit. Et non cognoscet exactè Ioseph, quanta esset Sponsæ suæ dignitas , atque præstantia: donec peperit filium suum Primogenitum. Tunc enim canentibus è cælo Angelis, congratulantibus opilionibus, adoratibus Magis, Christi Iesu diuinitatem confitentibus Anna, & Symcone: perfecte,

Etè, & ad vnguem intellexit, diuam Virginem Mariam, veri Messiae, id est, Dei & hominis, esse matrem. Si verò more Hebraico, cognoscendi verbo, vxorium congressum intelligamus (ut planè videtur intelligendum: particula illa, donec, tēpus significat infinitum, & indeterminatum Gen. 8. *Qui egrediebatur, & nō reuertebatur, donec siccarentur aquæ: id est, nunquam* Psal. 109. *Donec ponam inimicos tuos.* Et i. Cori. 15. *Oportet illum regnare, donec ponat inimicos suos. &c. id est, perpetuò.* Matt. 28. *Et ego vobiscū sum, usque ad consummationē seculi. id est perpetuò* 2. Re. 6. Michol nō est natus filius, usque in diem mortis uerè. id est, nunquam. Utitur autē lingua sancta suo more, verbo cognoscendi: ut res turpes, honestē pronuntiet: quapropter, sancta dicta est. Habet autem rationem Physicam, ealoquutio: quod virile semē, à cerebro, ubi locus cognitionis est, decissum, per venulas, quæ sese per dorsum ramificant, descendat. Postò Primogenitum vocant diuinę literę eū, qui primò natus est: quem oportebat redire, quod Deo esset consecratus: siue alii deinceps nascerentur filij, siue non. Cōsolatur verò nos id nomen, vehementer.

Donec, inquit, peperit filium suum Primogenitū. Ostendit quippe, Christum esse Primo-
genitum in multis fratribus: nōsque per
adoptionem Spiritus sancti, per fidem,
& charitatem, & sacramenta: ad eum,
tanquam fratres, & Regni cohæredes
pertinere. Annotauit etiā Ephiphanius
loco paulò superiùs citato, nomen illud,
Primogenitum, habere Articulum pre-
posituum. Peperit filium suum, illū Pri-
mogenitum: ut per excellentiam, Chri-
stus Dominus, Primogenitus nuncupe-
tur: ut verè est primogenitus omnis crea-
turæ, & Princeps Regum terræ. Dictus
est etiam Primo genitus, more Hebraï-
co: id est, vnigenitus: Quemadmodū su-
periùs annotauimus n. 30.

48 Ex sacra hac Christi genealogia,
apertè refellitur libellus ille, de legali
Christi Sacerdotio: quem Suidas (clarus
alioqui Auctor) suis lucubrationibus in-
seruit: à Iudæis Tibarenis, confictus: ad-
uersus quem scripsit eleganter, Ioannes
Hentenius: & cui à Patribus, in Indice li-
borum prohibitorum, iure est interdi-
ctum. Negat enim genus Regium Chri-
sti, ex progenie Dauid: dum illi importu-
nè afferit, & astruit Sacerdotium. Non
enim

enim illud administrabant , nisi qui per
lineam masculineam , genus ducebant ab
Aarone: quod conuincit exemplum O-
ziæ Regis. 2. Parali. 26. & legis præceptum
Num. 17. Christus autem Redéptor no-
ster , et si cognationē habuerit cum Stir-
pe Sacerdotali (quod apertè ostendit
Luc. c. 1. docens, Elizabeth , de Aaronis
posteritate, cognatā esse beatissimæ Vir-
ginis) nihilo seciūs tamen , legale Sacer-
dotium, ad eū minimè pertinebat: quòd
beatus Ioachim, Deiparæ Virginis pater,
recta, & virili serie , & linea , genus du-
xerit ex stirpe , & tribu Iuda , ac familia
Dauidis Regia : non ex tribu Leui , nec
ex familia Aaron. Fuit verò libellus ille
olim plausibilis: tūm, quòd (vt auctore est
idem Suidas, in dictione, Iesus,) in Archi-
uis vrbis Tiberiadis, tēpestate Iustiniani
Imperatoris , à Theodosio , Iudæorum
Principe , & Tiberiadiscomite(qui à Iu-
daismo posteà, ad Christū conuersus est)
& à Philippo, Argentatio, Christiano, re-
pertus sit. Tūm maximè , quòd Iudæo-
rum impostura , confessim deprehensa
non fuerit.



DE ADVENTV MAGORVM.

LIBER SECUNDVS.

Cap. 2.



V M ergo natus esset Iesus, in Bethlehem Iudeæ, in diebus Herodis Regis. &c. Locum, & tempus ortus Iesu, explicat Matthæus: ut Hebræi, vtrumq; eum diuinis Vaticinationibus conferentes, viderent, quām hæc, cum factorum Prophetarum Oraculis, consentirent. Locus námque à Micheia: tempus verò, à Daniele, & Iacob, explicatū est. Porrò Bethlehem Iudæ, dixit: quòd esset alia Bethlehem Galileæ, in sorte Zabulon. Iosue. 19. Corruptè verò legūt Græca exēplaria, Iudeæ, pro, Iudæ, quod etiam Hieronymus annotauit: & si pa- rum referat, vtro modo legas. Herodem præterea, Regem nominat: quòd nihil ad eum (vtpotè alienigenam, & exte- rum,

rum; Iudaicæ gentis Regnum pertine-
ret: instantemque Christi aduentum,
huius Regno, & Jacob vaticinio, decla-
raret. *Non deficiet sceptrum de Iuda, nec Dux
de ferme eius: donec veniat, qui mittendus est,*
&c. In diebus inquit, Herodis Regis: id-
est, ea tempestate, qua Regnum Iudæo-
rum administrabat Herodes: is planè,
quem, Magnum plerique vocant: Anti-
patri filius, Herodis Ascalonæi nepos.

Quem Herodem Ascalonitam, Aphri-
canus apud Nicephorum, refert, scruum
fuisse Sacerdotis cuiusdam, ex eorum
numero, qui Apollini templo apud Af-
calonenses præcrant. Eusebius verò in
præpar. Euāg. Autor est: Herodem ipsum
Ascalonitam, Apollinei tēpli Ædituum
fuisse: ex eorum classe, qui serui vocarē-
tur. Huius filium Antipatrum, ab Idu-
mæi captum, apud eos educatū: Aphri-
canus affirmat: quòd pecuniæ inopia, à
patre Herode redimi minimè potuerit.
Apud quos multa, atque præclata, belli-
cæ virtutis ostentās facinora: clarissimus
euasit: ab eisque, Idumæi cognomentum
retulit. In Hircani deinde, summi Iudeo-
rum Pontificis, amicitiam insinuatus:
quòd bellum aduersus fratrem suum

Nicepho.
lib. 1. c. 9.

Euseb. lib.
8. præpar.

Euāg. c. 1.

germanum, Aristobolum, gereret: breui,
Hyrcani Regno in libertatem asserto, sic
enituit: ut egregiæ indolis, & singularis
prudentiæ, atque fortitudinis famam,
apud vniuersos Palestinos retulerit. Ari-
stobolo autem è medio sublato, & Iu-
dæa in prouinciæ formam, à Pompeio
redacta: Antipater, Palestinæ Procura-
tor creatus est. Quo, Malichi fraude in-
terfecto: Herodes eius filius, quem è Cy-
pri nobili Arabe sustulerat (qui Ascalo-
nita, ab auo: & ab amplitudine fortunæ,
Magnus appellatus est) & opibus, & vir-
tute: sed potissimum Romanorum ami-
citia fretus: non paternam modò admi-
nistrationem, verùm Regnum etiā, ade-
ptus est. Cùm enim priùs Antonio, inti-
ma familiaritate esset coniunctus: inui-
dente ei nō nihil Cleopatra, quæ Iudæo-
rum Regno inhiabat (vt Plutarchus in
Antonio, Auctor est) cum qua, eam ob-
causam priuatas simultates gerebat: au-
sus Antonium, in Actiacum bellū con-
tendentē, nō solùm auxiliaribus copiis,
& omni commeatus generc: verùm con-
filio quoque saluberrimo iuuare: affir-
mans, omnia prosperè cessura, si Cleo-
patram in Ægyptum remitteret: supera-
to

to Antonio, cuius manifestissimum extium, iam olim præuiderat, et si sciret Cæsarem Augustum, ob Antonij amicitiam, sibi esse infestissimum: ausus est tamen tentare fortunam: eique, in Ægyptum properanti, abundantissimo comedatu, & ingentibus diuitiis instructus, occurrit. Paucaque præfatus, cum (Antonij familiaritatem, atque amicitiam ingenuè confessus) culpam esset deprecatus: Augustus, animi magnitudinem viri, demiratus, quem compertum habebat, discessionem à Cleopatra, perpetuò Antonio consuluisse, amantissimè eum, in suam gratiam recepit: belloque confecto: opibus, & Provinciis auctum, in Regnum extulit. In quo, quantum rebus gestis, & magnificentissimo animo eniuit, templo Salomonico (vt Iosephus tradit) ab ipsis propè fundamentis constructo: quod priori esset mole, & opulētia par: tantum saevitia, & crudelitate, vniuersos penè mortales superauit. Interfecit siquidem, & vxorem, & liberos: aliaque innumera, nephariæ crudelitatis exempla edidit, quæ paulò post sunt à nobis copiosius persequenda. Sunt autem Herodes tres, qui in nouo Testamē-

Ioseph lib.
15. antiqui
c. II & lib.
I. de bello
Iuda. c. 27.

to memorantur. Hic ipse, de quo sermonem instituimus: sub quo Christus, Seruator noster, natus est. Qui etiam Bethlehemiticos Infantes, crudelissimè trucidauit. Qui anno sexto à nativitate Christi, morbo intercutis, ut ait Eusebius, & pediculari, miserè consumptus est. Secundus: huius filius, Galileæ Tetrarcha: qui Ioānē Baptistā, gladio sustulit, & spretū Christū, ad Pilatū remisit. Is cùm annis quatuor & viginti Galiléam rexisset: in exilio perijt. Tertius: Herodes Agrippa, à Claudio Caligula in Regnum cuectus: qui, Iacobum cùm iugulasset, optans, placere Iudæis: Petrum, in vincula coniecit. Qui Cesareæ, diuinæ acclimationes sibi à populo oblatas, libenti, atque arroganti animo suscipiens: ab Angelo percussus, vermibus scatens, occubuit.

² Ecce Magi ab Oriente venerunt, &c. Magorum nomen, vulgi potius usurpatione, & errore, quàm aut significatione vocabuli, aut eorum, quibus principiò inditum est, merito: infame est. Persarum quippe Sapientes, à quibus Diogenes Laërtius, in Prohemio libri, quē de Philosophorum vitis, successione, placitis, & rebus

rebus gestis conscripsit: Philosophiæ se-
 mina iacta, & propagata fuisse, tradit)
 clarissimos Auctores citans, Hermip- *Hermip.*
 pum, Hermodorum Platonicum, Xan- *lib. 1. de*
 thum Lydium, Sotionem, Aristotelem, *Magis So-*
 Dinonem Historicum, Eudoxū, Theo- *tion lib. 23*
 pompum, Eudemum Rhodium, Heca- *Aris. i Ma-*
 theum, Clearcum Solensem, atque Cli- *gico lib.*
 tarchum: Magi, idest, silentes, ut inter- *lib. 1. de Phi-*
 pretatur Basilius, in Oratione de Christi *lo. Dinon.*
 ortu, dicti sunt: siue quòd silentium, & *lib. 1. de Hyg.*
 quietem agerent, ut commodiùs philo- *Eudoxus*
 sopharentur (Anima enim, ut Aristoteli *in verendo*
 quoque visum est: sedendo, & quiescen- *Theopem.*
 do fit sapiens) siue quòd quinquennij si- *lib. 8 Phi-*
 lentiū, discipulis indicerent: quod à *lippicorum*
 Pythagora deinde Samio (qui inter illos
 addiscendæ Philosophiæ gratia, est pere-
 grinatus) apud Græcos usurpatum est.
 Apuleius autem, in prima Apologia pro
 Magia, vsus Platonis testimonio: Persa-
 rum Sapientes, Magos, idest, Sacerdotes,
 appellari affirmat. Et Cælius lib. 3. leđ.
 antiq. cap. 42. Magorum nomine, nihil
 aliud Persis, quam Deorum Interpretes,
 atque cultores, significari putat. Clitar-
 chus in 12. apud Laëtiū, Auctor est:
 Magos, Deorum vacare cultui: & illis
 preces

preces, vota, ac sacrificia offerre: de Deorum substâlia differere: signa, statuasque reprehêdere. &c. Sotion verò, apud eundem Lærtium, his, vestem quidem candidam: lectum, humum: escam, olera, caseum, ac panem cibarium: fuisse, refert. Quibus consentit Hieronymus. i. lib. Commenta. in Danie. cap. 2. Aristoteles etiam (apud eundem Diogenem) in Magico: & Dinon. i. Historiarū lib. & Hermodorus Platonicus, affirmant, Magicę illos diuinationis, penitus ignaros, & expertes fuisse. Cùm verò tales principio fuissent: paulatim ad superstitiones, & vanitates deflexisse: atque eam ob causam, nomen inuisum, & infame redditū, probabile est: Quod Augustinus. Chiamensis Episcopus, censet, lib. de perenni Philosophia. Duplicem verò Magiam, antiqui celebrant. Alteram, tām diuinis, quām humanis legibus damnatam: quæ per icta cum Dæmonibus fœdera, & impias nephendorum spirituum euocationes, multa verè: sed plura apparenter solūm, delusis, intuētum oculis, operatur: quam Græci, peculiari vocabulo, *Götter*, nuncupant. Huius Professores fuerunt, Zoroaster, Ostanes, Apuscorus, Zaratus,

ratus, Marmacidius, Hippocus, Zarmo-
cedines, Iannes, & Mambres, qui restite-
runt Moysi in Ægypto: Balaam Arameus,
Simon, & Elimas, Magi: quorum nomi-
na execranda. 2. ad Timotheum. 3. Num.
22. Acto 8. & 13. referuntur. Hac etiam Ma-
giæ, plerique tradunt, Pythagoram, ^{Horū no-}
Democritumque sequatos: & Apollo-^{mīna anno}
nium Tianum: cuius res gestas, Philo-^{tāut Am-}
stratus edidit: quas miseri Gentiles, re-^{gusti Ne-}
bus à Christo gestis, opponere sunt ausi.^{briensis E-}
^{piscopus.}
^{in Scholys.}
^{Psal. 131.}

Quibus Iustinus Martyr, eggrediè re- Li. quæst. à
spondit: Apollonium, scilicet, nihil vñ- genti. pro-
quam, nisi adhibita materia operatum: pos. q. 24.
Christum verò (vt par erat nature) Auto- ^{Euse Ca-}
rem, & Principem) solo imperio, solo nu- ^{sa li aduer-}
tu, multa, atque preclara opera edidisse. ^{sus Hiero-}
^{dem.}

Naturalem alteram, ab omni supersticio-
ne puram: non sanguine, non victimis,
non euocationibus vtētem: sed que mu-
tua tantum virtutum, ac facultatum na-
turalium, aut confessione, aut dis-
fidio: multa profectò admiranda, &
utilia operetur. Hec magnetem, ad usus
nauticos, incredibili generis humani be-
neficio, transstulit: & Medicinæ procrea-
trix fuit. Cuius Celsius lib. 3. leet. antiqua.
cap. 42. & Picus Mirandu. in Apologia,
& Reue

& Reul inus Forcensis: & antiqui Pa-
tres, Iustinus martyr in lib. quæst. à Gen-
tibus propositarū. q. 24. & 26. & Hiero. in
Daniele. ca. 2. & Origenes Tractatu. 5. in
Matth. patrocinium suscepereunt. Fuerūt
autem in tanta veneratione, & pretio,
apud Persas Magi: vt Cicero lib. 1. de di-
uinatione, & Plinius lib. 2. Historiæ na-
turalis, affirmant, Magiam, Regum Re-
gibus in Oriente imperitasse: nec potuisse
quemquam Persarum, Regno præfici,
qui non antè, Magorum disciplinam,
scientiamque, percepisset. Cambyses igi-
tur, Cyri filio, vita functo (gladio enim
quem baltheo gestabat, sua sponte euag-
inato, in femore grauiter vulneratus,
occubuit) & Mergide, eius fratre, fraude
Comaris Magi, è medio sublato (vt Iu-
stinus refert) suffecto in Regnum Oro-
pastæ, Comaris germano: qui Mergidem
ore, & corporis lineamentis, mitificè re-
ferebat: duo hi Magi, Persarum Monar-
chiam inuaseré: tenueruntque annis se-
ptem, donec Orthanis, viri nobilis, saga-
cissima coniectura, illorum præstigię de-
prehensæ: & per coniuratos septem, Re-
gno detubati, atque deiecti, vita quo-
que priuati sunt. His successit Darius,

Histia

Histaspis filius: Cyro, & sanguine, & cognatione iunctus. Fluxerunt proculdu-
biò Magi à Chaldeis, & Assyriis: qui eis,
& sapientia, & Regno, multò superiores,
& antiquiores fuere: à quibus, Hebræo-
rū quoq; Patres propagati sunt: quod &
Achior Iudith. 5. testatur. Assyrij enim, &
Babilonij, suos Sapiētes, Chaldæos: Per-
sæ, Magos: Indi, Bramanos: Æthiopes,
Gymnosophistas: Celtæ Diuidas, & Sē-
notheos: Ægyptij, Prophetas: Græci, Phi-
losophos vocant. A Chaldæis ergò, ge-
neris humani propagatoribus, post dilu-
uium: liberales etiam Artes, & ingenuæ
Disciplinæ propagatæ sunt: etsi Clear-
chus Solensis, in lib. de disciplina apud
Laërtium, à Magis Gymnosophistas, &
Iudæos, originem duxisse tradat. Certū
est tamen, Assyriorum Regno à Persis
subacto, nomina fuisse confusa: & pro
Chaldæis Magos, & contrà, pro Magis,
Chaldæorum nomen usurpatum. Quod
Augustinus Chiomensis obseruauit: &
testimonio Chalcidij Platonici probari
potest. Qui cùm Platonis Thimæū com-
mentaretur, & in Euangelicam hanc
Magorum historiam, ea, qua paulò post
subiiciemus, occasione, incidisset: quos

Matthæus Magos, ipse Chaldeorum Sapientes, appellauit. Hæc ideo accuratiùs & fusiùs à nobis sunt proposita: quòd his præludiis, atque prolegomenis, ea omnia quæ ad exegēsim huius loci pertinent, magna ex parte explicata videantur. Si enim quæras, quales hi Magi fuerint: qui primi ex Gentibus, tanto studio, & accuratione, Christum quærunt? Respondeamus. Viri proculdubiò, sapiētia, id est, humanarum, ac diuinarum rerum scientia, præcellentes, & insignes. Si quæras deinde: Reges ne? Respondeamus, planè eos, Reges fuisse: sed exiguos: Regulos scilicet, & Topharchas: quales habuit plurimos Oriens, sub primariis Imperiis comprehensos, & Monarchis obtemperantes. Plutarchus enim in Lucullo, Tyrannis Armenij fastum, atque superbiā describens: qui nō ita multis annis, ante Christi ortum, in Asia floruit: ita inquit. Ministrabant ei multi Reges: quorum alij, veluti pedissequi, aut satellites, astabant. Hi, equitanti pedestres, interiores tunicas induti, occurrebant &c. De eiusdem etiam copiis, & apparatu, paulò pòst differens, ita inquit. Neque insana prorsus, omnémque præter rationem, videbatur

batur viritemeritas: cui tot populi, tot Reges, tot peditum legiones; & equitū millia, animos attollebant &c. Docet maximum hunc Regulorum numērum, ipse quoque titulus, quo Monarchæ potentissimi, & qui magna Imperia sibi, aut jure hæreditario, aut bello, in Asia comparauerant, Reges Regum appellabātur. Hanc sententiam confirmant, tūm antiqua, & in primis vulgaris Christianorū opinio, iā olim in Ecclesia recepta: tūm pictura, tūm multorum Patrum testimonia: Athanasij, de variis quæst. q. 2. Tertulliani, lib. aduersus Iudæos, & lib. 3. cōtra Martionem. Cypriani, in sermone de Baptismo Domini, & manifesta. Trinitat. Hiero. in Psal. 71. Augustin. Sermo. 43. ad Heræ. & lib. 3. mirabi. sacræ Scripturæ. Chrysost. hom. 6. in Matth. Isido. in Præfatione Missæ Mozarabicæ. Christiani Duntmari, Matt. 2. Thomæ. Matt. 2. & Iohan. 11. Nam. 3. p. q. 36. ar. 3. non solum fuisse Sapientes: sed etiam Potentes, affirmauit: suppresso Regiæ dignitatistitulo. Probat id etiam, Magorum potentia: & ius Regni, non nisi his, quieorum disciplinis imbuerentur, in Oriente concessum: quod Cicero. ac Plinius testi-

monio probauimus. Probant id etiam, eximia, & singulari sua eruditione: tam beatus Iob, quam tres amici eius. Nam Perfidis, Arabiæ, Æthiopiæ, Ægyptique. Sapientes, Plinius lib. 25. cap. 2. communia appellatione, Magos vocat. Reges autem, eos fuisse: Thobie. 2. cap. ostendit. Sic etiam Ambrosius eos vocat lib. 1. offic. c. 12. Erat igitur amici Iob, tum Magi, tum Reges: id est, Reguli, & aliquarum ditionum, aut urbis, aut locorum Domini, & Principes: quales in Europa Duces, Marchiones, Comites & Reguli: & quales in Hispania, sub Mahumetanorum Tyrannide, euersa Miramamoliniorum Monarchia, Reges fuere. Tot enim Reges memoratur, quot urbes. De Toledo, de Seuilla, de Cordoua, de Iaen, de Granada, de Carauaca, de Murcia, de Valencia, de Caragoça, de Huesca, &c. Tales etiam fuisse gentium Reges, sub ingressum filiorum Israël in terram Chanaam: ingens illorum numerus ostendit Iosuë. 12. Quò loci, angustissimæ illius Regionis, quam ultra Iordanem filij Israël occuparunt: unus & triginta Reges numerantur. Et illud Iudi. 1. Septuaginta Reges, præcisis manuum, ac pedum summitatibus:

come

comedebant sub mensa mea ciborum reliquias.

Plinius etiam lib. 5. c. 23. in sola Cælestria memorat. 17. Tetrarchias. Et ca. 18. in Regione Decapolitana, quæ satis est exigua: constituit sex Tetrarchias: quas ibidem affirmat, Regnorum instar fuisse.

Tales ergò Magos fuisse, qui Christum quæsierunt: nempe, Toparchas, sapientia, & religione insignes: proculdubio putamus. Quod autem omni sapientia imbuerentur, qui inter Orientales Principatui destinabantur: docet Mosis exemplum, Ægyptiorum Regno destinati: qui in omni Ægyptiorum sapientia, à diuo Stephano Acto. 7. eruditus, traditur. Nec eius sacer lethro, Madianitarum Princeps, Magiæ, & Philosophiæ, expers fuit. Eum enim, Mercurium esse Trismegistum (quem tantoperè celebrauit antiquitas) Doctorum plerique, non leibus, nec futilebus coniecturis, contendunt. Si quæras. 3. Biennio post Christi ortum, an diebus tredecim, Bethlehemiticam ciuitatem adierint? Respondemus, die eos decimo tertio aduentasse. Chaldæi quippe erant Magi, & ex posteritate forsitan (quod Chrysostomus, Hieronymus, & Ambrosio, vixum est) aut

certè ex disciplina , & secta Balaami
 Chaldæi. Sic enim se vocat ipse, Nu. 23.
 inquiens. *De Aram adduxit me Balac, Rex*
Moabitarum: de montibus Orientis. Et Deuter.
 23. scriptum est, quòd Moabitæ adduxerunt
 Balaam de Mesopotamia Syrię, ad
 maledicendum populo Israël. Licet fini,
 qui Balaam, Huzeum putent: quemadmodum Nume. 23. à nobis explicatum
 est. Chaldaea autem Regio, est Iudeę pro-
 pinqua: illaque Orientalis, inter Babylo-
 nem & Arabiam , Tygrim & Eufraten.
Quam describūt Plinius lib. 6. c. 28. Strabo lib. 16. Volaterra. lib. 11. Geographiz.
 Huius partem, Mesopotamiam quandoque, diuinis in literis vocari: docet Stephanus Acto. 7. Et Plinius eam Prouinciam, Chaldaicæ Regionis partem, vo-
 cat, ex qua oriundus fuit Balaam(erat enim Aramaeus, ut paulò superiùs ostendimus.) *De Aram, inquit, vocauit me,*
Rex Balac. Nam Haraín Naharaim, He-
 bræi Mesopotamiam vocant: idest, Ha-
 ram duorum fluuiorum. Vox enim, Na-
 haraim, dualis est numeri: sic dicta, quòd
 inter Tigrim, & Eufraten , media sita sit.
Quòd alludit nomen Græcum, Mesopo-
tamiæ, à mesos, quod est, medius: &, po-
tamos

tamos, quod est, fluuius. Alij putant, sic
eam vocatam, à primo eius cultore: cui,
Aram nomen fuerit. Eumque nominis
sui vrbem, in ea Regione cōdidisse: eius
que filiū, nomine Hus, in cāpo Damas-
cenō, vrbem nomine Aram, in memoriā
patris cōdidisse: cùm campus suo nomi-
ne, terra Hus, dictus sit. Balaámque Hu-
z̄xum, & Madianitam fuisse: nam Iudi. 6.
Madianitę, Orientis populi appellantur.
Affirmatque, Madianitas, populos fuisse
Syros, Damascenos, & Cælefýros, Hu-
zeos: & nomina nonnunquam cōfundi.
Est ergò diuinis in literis Harā, Prouin-
ciæ Mesopotamiæ (quæ pars est Chal-
deæ) & vrbis quōdam in ea celebris, no-
men: quæ Charā etiam, per n̄ Cheth.
dicta est, à Chara fluvio: non procul à
Nisibi, siue Antiochia (olim vrbe claris-
sima) sita. Quò loci Thare, pater Abra-
hami, obiit morte: atque eo vita functo,
Nachor, frater Abrahami, moratus est.
Hanc Prouinciam, Babiloniæ Sapientes
habitasse (quos & Chaldeos, & Magos,
vocatos, diximus) Strabo, clarissimus
Author, lib. 11. & 17. & Ammianus lib.
23. apertissimè affirmant: et si non me fu-
giat, Herodotum, Historiæ patrem, lib. 1.

c.ii.cùm Mædiam in c. Prouincias diuisisset: vltimam , Magis tribuisse : & Plin. lib. 6.c. 27. Pasagardā Castellū, & Echbatanam vrbem, illis assignasse. A prouincia tamen Aram , se vocatum refert Balaaam, de montibus Orientis: quòd diuinis in literis, terræ quæ sunt Iudeæ Oriëntales, Oriës appellantur: quo sensu Gen. 13. scriptum est. *Elegit sibi Loth Regionem circa Iordanem : & recessit ab Oriente.* Cæterùm, quòd inter Aquilonem , & Oriëntem, Chaldæa sita sit , respectu Hierosolymæ (vt césent Hieronymus Hiere. 25. & Zacha. 2) nunc Orientalis , nūc Aquilonaris appellatur. Distat verò vrbs Arā, à Hierusalem, centum septuaginta duabus Hispanticis , & Persicis parasangis. Vr verò Chaldæorum, (quam vrchoam, Ptolomeus vocat) ducentis duodecim: vt Canus Author est lib. de locis Theologicis. II. c. 5. vbi suo more elegantissime , & eruditissimè hunc locum versat. Potuerunt igitur commodè paucis diebus adire Magi Hierosolymā: præsertim. cùm Dromedariis vterētur: quos Philostratus , in Apollonij Tianæi vita , & historia, mille stadiorum spatiū, vnius diei itinere, conficere affirmat. Cui accedit testi-

testimonium Aristotelis lib. 9. de animal.
 historia c. vlt. qui tradit, celerius eos mul-
 tò quam Nisæos equos, currere. Probat
 hoc etiam expedite, historia Iacob. Cùm
 enim eum Laban fugientem, ex Mes-
 potamia, Iudæam versus persequeretur:
 septimo die cōsequutus est eum, ad mō-
 tem Galaad: qui est principium Libani.
Et agebat quidem secum Iacob greges,
 uxores, ac paruulos. Laban autem, non
 ante diem tertium, fugam generi depre-
 henderat. Non ergò oportet, varias iti-
 neris rationes excogitare. Remigius si-
 quidem, tam breui, tantum Magos iter,
 miraculosè confecisse arbitratur. Augu-
 stinus, & Chrysostomus, ante natum
 Christum, stellā ab eis visam, existimāt.
 Epiphanius, Heres. 51. & Zacharias Chri-
 sopolitanus, bienniò post natum Chri-
 stum, Hierosolymam Magos attigisse,
 putant. Quibus manifeste historia hæc
 Euangelica repugnat. Primū, quod Mat-
 thæus hoc loco, aduerbio excitandi usus
 sit: inquiens, Ecce, Magi ab Oriente ve-
 nerunt: indicans sane rerum consequen-
 tiā, & propinquitatem. Cùm natus esset
Iesus in Bethlehem Iude, in diebus Herodis Re-
gis: Ecce, inquit, Magi &c. Non enim de

retam sera, sed de subitaria, improuisa,
& proximā, series historiæ, ea verba pro-
nuntiari permittit, quale est illud Gen.
24. *Necdum intra se verba compleuerat: Ecce,*
Rebecca egressiebatur &c. Et illud Poëticū.
Audiāt hēc aliquis, vel qui venit: Ecce Pa-
lēmon.

Deinde, quòd Magi, diuinum puellū
Christum, in Bethlehemitica vrbe inue-
nerunt: in qua beatissima Virgo cum di-
uina prole, & sacro coniuge Ioseph, die-
bus. 40. (nempe vsque ad Præsentationē)
mansit. Post purificationem verò (teste
Luca) in ciuitatē Nazareth regressi: pau-
lò post, Angelo monente, in Ægyptum
concessere. Nec fuit vlla ratio illis, re-
deundi in Bethlehem, post biennium: in
qua vrbetamen, narrante Matthéo, Ma-
gi Christum inuenerunt. His accedit cō-
munis Ecclesiæ vsus, sentētia, atque tra-
ditio: quæ die decimo tertio post Christi
ortum, Epiphaniorum sacras ferias cele-
brat: censetque, diebus tredecim, Ma-
gos, iter suum confecisse. Cuius quidem
authoritas, si Osiandro viliis est: nihil mi-
rum, cùm impudentissimus Hæreticus,
ab eius Castris transfugerit. Nobis ta-
men veneranda, diuina, & sacrosancta
esse

esse debet. Nec obstat, quod ille obijcit:
Virginem scilicet Deiparam. non Agnū,
sed par turturū , aut duos pullos colum-
barum, in Purificationis oblationem ob-
tulisse: cùm Lex Leui 12. id permiserit,
his qui pretium agni non possent inue-
nire: nempe, pauperibus. Igitur, nondum
aurum, atque Thesauros, Magi obtule-
rant. Sunt enim qui putent, eam aurico-
piam, sacratissimam Virginem, aut in di-
uinos, aut in pauperum usus, statim con-
tulisse. (Sciebat enim, paupertatem, &
inopiā, placere filio.) Quamobrem, par-
cè, & vix, eam viaticum ad fugam, & ne-
cessaria ad peregrinationem, ex Mago-
rum muneribus reseruasse. Sunt qui eam,
maioribus hostiis, modestiæ gratia absti-
nuisse, arbitrentur. Non enim decebat,
pudicam Virginem notę paupertatis, in
templo educatam : subito diuitis obla-
tionem inferre. Nec illud alterum : He-
rodem scilicet, re prius cū Magis : accu-
ratissimè communicata : occidisse puel-
los Bethlehemiticos, à bimatu , & infrà:
secundum tempus , quod exquisierat à
Magis. Nam (vt suo loco posterius dice-
mus) verba illa, secundum tempus, (vt
Euthimius obseruauit) non sunt referē-
da

da ad totam orationem, & pericopem
præcedentem : sed tātūm ad particulam
infra. Nec potuit Herodes, Romam euo-
Joseph. lib.
26. antiqu.
e. 7.
catus (vt Iosephus est Auctor) sequiendi in
pueros libidini, qua ardebat, satisfacere;
præsertim, cùm satisfacturus filiorū suo-
rum accusationi, euocaretur: cum qui-
bus par est, multos Regni Principes, ad-
uersus eum conjurasse. Si queras, tres ne
Magi fuerint? an pauciores? an plures?
Respondemus: numerum quidem plu-
ralem, à Matthēo constitui: dicēte, Ecce
Magi ab Oriente venerunt. Certum ta-
men, non explicari. Probabilius proinde
esse, Ecclesiæ consuetudinem, & tradi-
tionem amplecti: quæ & pictura, & com-
muni, ac publico omnium fere consen-
su, tres Reges Magos fuisse, putat.

8 *Vidimus enim stellam eius &c.)* Ex Pli-
nio lib. 2. Clitarcho. li. 12. Cœlio Rodigi-
no lib. 3. c. 42. Augustino Chiamensi lib.
Zoroaster.
1. astrorum
observatio
& cultor.
1. de perenni Philosophia, ex nomine in-
super ipso Zoroastri, Magorum Princi-
pis, & ex clarissimis quibusque Au&tori-
bus, satis constat: Chaldæos, siue Magos,
Astronomicis rationibus summo studio,
& maxima animorum contentione, in-
cubuisse. Probant hoc aperte diuinæ li-

terē 2. Paralip. 32. Quò loci, cùm præmis-
 sissent Ezechiae morbum, illiāsque dolo-
 rem, & luctum, quòd absque liberis ra-
 peretur, cùm ex sua posteritate, & sobo-
 le, Christum oritum: spem priùs animo
 concepisset, orationemque eius, & la-
 chrymas, à Deo esse suscepas: optionēq;
 illi datam, vt vtrum vellet, à Deo signū
 postularet: retrocessurum quippè decem
 lineis esse Solem, aut totidem lineis pro-
 gressurum: illeque nihil moratus, Solis
 retrogradationem postulasset: quæ om-
 nia 4. Reg. 20. & Isai. 39. fusiūs explican-
 tur. Quæ non nihil etiam, ad diuini Ver-
 bi Incarnationem, pertinere videntur:
 quòd transgressis nouem Angelorum li-
 neis, & choris, ad decimam usque, idest,
 ad humanam naturam descendit: & caro
 factum est. Non enim Angelos apprehē-
 dit, sed semen Abrahæ: visus quodam-
 modò Deus, à maiestatis, & magnitudi-
 nis suæ arce, retrocedere. Exinanuit
 quippe semetipsum, formam serui acci-
 piens &c. Cùm igitur signum hoc mira-
 bile præcessisset: in Paralipomenis scri-
 ptum est. Attamen in legatione Princi-
 pum Babylonis, qui missi fuerant ad eū,
 vt quæcerent de portento, quod accide-
 rat

rat super terram &c. Quibus verbis satis indicatur, quam fuerint Magi, atque Chaldaei, rerum cœlestium studiosi: cum publicâ legatione missa, Merodach Baladam, filius Baladam, Rex Babylonis, quæsierit de retrogradatione Solis. Id enim est portentum, atque miraculum, quod tunc acciderat super terram: die, horis decem prorogata. Nō dubium est, cœlesti numinis afflatu, orto, & fulgente nouo sydere: Magos intellexisse, eximiū illum, & diuinum Regem Iudæorum, natum: quem tantoperè sacrorum, ac prophanorum Vatum Oracula, prædicabant. Deum, pariter & hominem, futurum: pro mortaliūmque afferenda libertate, & salute, mortem, atque Crucē esse subiturum. Cuius deinde Religioni, & cultui, abdicatis, & reiectis Idolis: universum genus humanum, erat operam daturum. Sacrorum quidem Vaticiniorum copiam habuerunt, ex consortio Iudeorum: qui annis. 70. inter Babylonicos sunt peregrinati. E quorum numero, quamplurimi, Cyribeneficio uti noluerunt: qui eis redditum, longo illo postlimio, in patriam concedebat. Verum inter Chaldeos manentes, magnam illis, rerum

gerum sacrarum cognitionem contulerunt. His accessit, Vaticinium illud celebratissimum , de Christo : quod cecinit Balaam : (cuius aut posteri , vt Chrysostomus , Hieronymus , & Ambrosius, sentiunt : aut certè consecratores , ac Discipuli, Magi fuêre) quod Numer. 24. sacris literis insertum , ac omnium seculorum memoriæ , consecratum est. *Videbo eum , sed non modò : contuebor illum , sed non propè. Orietur Stella ex Iacob , & consurget virga de Israël: & percuiet Duces Moab , vastabitque omnes filios Seth. Et post pauca. De Iacob erit , qui dominetur. &c.* Christus enim Paganismum , & falsam multorum Deorum Religionem, Evangelica prædicatione euertit : & Idola omnium gentium , & omnium mortalium, manibus excussit. Duces enim Moab : Idololatriæ Principes , & falsæ Religionis Antesignanos, vocat. Filios autem Seth, vniuersum genus humanum. quòd pereunte Adami sibole, communi orbis inundatione , solus relictus fuerit superstes Noë , ex posteritate Seth. Quapropter Chaldæus Paraphrastes, simplicissimè Vaticinationem hanc , de Christo interpretatur: quem violètissimè Iudæi,

ad Dauidem rapiunt. Nam etsi Dauid Moabitarum Regnum exciderit, & funiculio mensus fuerit Moabitas. Reg. 8. non tamen dominatus est omnium filiorum hominum. Sic enim vertit Chaldaeus, Pericopē illam. Et vastabit omnes filios Seth. Balaam verò, prædicit euenus nouissimorum temporum. Sic enim Christi tempora: nouissima hora, & nouissimi dies, sacris in literis appellantur. Fluxerunt autem, inter Balaam, & Christum, anni. 1500. Prædixit etiam, Virginum partum, & Christi nativitatem: nouis syderis ortum, indicaturum. Accedebant his Oraculis, Sybillarum prædictiones: quæ adeò circa hæc tempora in omnium ore versabantur: ut Vergilius, Augustitempestate, cccinerit.

Vltima Cumæi, veitn iam carminis ætas:

Iam redit, & Virgo: redeunt Saturnia Regna.

Iam noua progenies, cælo demittitur alto, &c.

Et Cicero 2.de.diuinatione prodiderit, Ostendisse quos dā Senatui, carmina Sybillina: quibus prædicebat, ea tēpestate, Regē esse oriturū: quē, si Romani, salui, & incolumes esse vellēt: abiurato veterū Regum odio, placidè essent suscepturn. Et Suetonius in Vespasiano, & in Tito, retulerit:

retulerit: circa ea tempora, vulgatissimum
fuisse, inter vniuersas Orientis gentes:
antiquum Oraculum, fata, mudi, & om-
nium mortalium Imperium, Regi, apud
Hebræos orituro, portendere. Mitto in-
numera alia Sybillarum, & aliorum Va-
tum, quos habuit Gentilitas (quales Ba-
laam Aramæus, Mercurius Trismegi-
stus, Abaris Hyperboreus, Zamolxis Ge-
ta, Orphæus Græcus, Zoroaster Perse) de
Christo Oracula, & Vaticinia. Nam hi
forsitan, Deo impellente, & afflante, ut
genus humanum hac ratione, Euangeli-
cæ prædicationi pararetur: multa sacra-
menta de Christi ortu, de captiuitate, &
Redemptione generis humani, de iudi-
cio finali, de sempiternis denique sup-
pliciis, quæ manent impios: prædixerūt:
ut Eusebius lib. 11. præparat. Euang. c. 10.
& lib. 4. vitæ Constantini, & Nicepho-
rus lib. 8. c. 29. sentire videntur. Quibus,
verba illa Pauli egggregie fauent, Roma.
1. quia quod notum est Dei, aut, ut alij
vertunt, quod de Deo cognosci potest:
manifestum est in illis. Deus enim illis
manifestauit, non solùm rerum effecta-
rum mole, pulchritudine, & varietate
(quem manifestandi modum, sequentia

indican: in uisibilia enim Dei, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta &c. verum etiam traditione, & peculiari bus afflatibus: quos Deus vltro, Gentilium Vatibus potuit aspirare, & immittere. (Vaticinium enim, Dei donum est: quod peccatoribus quoque immerentibus, & impiis, merè gratis donari potest.) Nec vates tantum: verum Dæmones etiā ipsos, variis in locis fundentes Oracula, coegerit testimonium ferre veritati. Ceterum, quoniam & Sybillarum, & aliorum Vatum, & dæmonum ipsorum Responfa, & Vaticinationes, copiosè à Cice. lib. 2. de diuinat. Deo. & ab August. lib. 8. de ciui. cap. 22. & à Lactantio lib. 4. de diuin. inst. cap. 18. ab Eusebio, Iustino, Clemente Alexandrino: & copiosissimè, & accuratissime, ab Augustino Chiamensi Episcopo, in elegatissimis suis lib. de perenni Philosophia, sunt propositæ: vnum tantum exemplum, ex Suida proponam: quod ille Author clarissimus narrat, in dictione, Augustus. Affirmat enim, Augustum, bellisci uilibus cōfeditis: orbiq; singulari sua virtute, pace redditâ: solenne centum boum sacrificium, Apollini, in Delpho obtulisse. Cumque de successore

fore Imperij : Apollinem consuluisset: nullo ei reddito Responso, instaurasse sacrificium: petiisseque ab Apolline, tunc ei minimè respondisset. Cui hæc interroganti: huiusmodi Responsum datum est.

Me puer Hebreus, Deus, Diuos ipse gubernas:

Cedere sede iubet, tristemque redire sub orcu.

Aris ergo hinc, tacitus abscedito nostris.

Quo habito Responso : Augustum, Romam se contulisse: & in ipsa Capitolijs area, templū, hoc titulo exedificasse.

ARA PRIMOGENITI DEI.

Cognoverunt præterea, receptione, de Deo, multa mortales: quod rerum diuinorum, ac futurarum notitiam, quam quondam habuerat Adam: eius posteri, manus, successoribus tradiderint. Itaque cum Magi, antiqua suorum, siue Prognitorum, siue Præceptorum traditione, & Theologia, compertum habuissent, Regem ex Iudæorum gente, olim nasciturum: cui omnium mortalium, ac totius mundi Regnum deberetur: eumque, verum Deum, hominemque futurum: eiusque nativitatem, ortu noui syderis, indicandam: summo studio (iam inclinantibus annis: & fama, de propinquo

ei⁹ ortu, orbem peruagante) obserua-
bant, num Stella illa , tandiu desiderata,
appaſcret. Hanc cum iamortam, & mun-
do fulgentem , essent contemplati : per
Angelum(vt Auct⁹r Commentariorum
imperfe&torum, qui, Chrysostomi titulo
circuferuntur: contendit) aut certe per
ſomnum , aut aliás à Deo moniti , confi-
denter adeundam esse Hierosolymo-
rum vrbem , Iudaici Regni principem,
atque Metropolim : requirendūmque
puerum iam ortum , ac generis humani
ſalutis destinatum: intrepidè, Magi, diui-
nis Oraculis confirmati , viam ingressi
ſunt. Hinc eſt, quod cùm Cometæ, & no-
ua ſydera, nihil fauſtum , aut propitium,
rebus humanis inuehere vulgo existi-
mentur. (nunquām enim ſpectati ſunt
impunē Cometæ : nunquām futilebus,
incanduit ignibus æther.) Magi tamen,
Aſtri illius ortum, mortalibus ſalutarem,
effe, intellexerunt. Quod quidem Chal-
cidius Platonicus , cùm Platonis Timeū
ſuis Commentariis illuſtrasset: ſapientiſ-
fimè obſeruauit. Docens enim, non ſem-
per bella, & morbos , Regumq; , ac Prin-
cipum interitus , Cometarum, ac nouo-
rum Syderum ortus, portendere: his ver-
bis

bis usus est: ut sunt apud Clementem Alexandrinum, in Stromatibus. Est quoque alia sanctior, & venerabilior Historia: quæ perhibet, ortu Stellæ cuiusdam, non morbos, mortesque denuntiatas: sed descensum venerabilis Dei, ad humanæ conseruationis, rerumque mortaliū gratiā. Quam Stellam, cū nocturno itinere suspexissent: Chaldæorum profecto Sapientes, viri, consideratione rerum cœlestium satis exercitati: quæsiuisse dicuntur, recentem Dei ortum: reperitaque illa Maiestate puerili, venerati esse: ac vota, Deo tanto cōuenientia, nuncupasse. Hactenū Chalcidius. Non fuet huius stellæ ortus, vanissimis Genethliacorum prædictionibus: quorum terribilamenta firmissimis suis Oraculis, è mortalium pectoribus Spiritus sanctus expunxit. Nam Hiere. 10. scriptum est.

A signis cœli, nolite metuere, quæ gentes timent.
Et Isaï. 47. Sta cum incantationibus tuis, & cū multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laborasti ab adolescentia tua: si forte quid profint tibi, aut si possis fieri fortior. Defecisti in multitudine consiliorum tuorum. Sta, & saluent te Augures cœli, qui contemplantur sydera, & supputant menses, ut ex eis annuntiarent ventura tibi. Quo

loci, pro Auguribus cœli: Septuaginta, Astrologos vertunt.

Vbi est, qui natus est &c.) V sus Articuli præpositiui, hoc loco constituti (cuius vim, c. præcedenti annotauimus, in illa verba, *Ecce virgo concipiet &c.)* expeditè docet, sermonem esse de Rege illo Mef-sia, insignissimo, & famatissimo: quem sa-cra Prophetarum Oracula, tātoperè ce-lebrant. Græca enim habent ὁ τεχθεὶς. id est, vbi est ille natus Rex Iudeorum?

Sic enim scriptum est per Prophetam. Et tu Bethlehem, terra Iuda: nequaquam minima es in Principibus Iuda. Ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israel. Testimoniū hoc, productū est ex c. 5. Michæ: Sed aliquā-tò diuersius. Sic enim habet Micheas. Ettu Bethlehem Ephrata: paruulus es in millibus Iuda. Ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel: & egressus eius ab initio, à diebus æternitatis. Hæc loca, ut inter se pugnantia: & quæ difficile in concordiam reduci possint, multi producūt: quòd Bethlehē, terram Iuda, Matthæus vocauerit, & nequaquā minimum: quam vrbē, Michæas Ephra-tam, & exiguum, aut paruulam, appella-uerit. Matthæus, in Principibus: Michæas verò, in millibus Iuda. Quapropter, qui-dam

dam ad tropos cōfugientes: dicunt, Iro-
niam esse in Michæa, in illis verbis: Par-
uulus es in millibus Iuda: Ut sensus sit.
Ettu Bethlehem, Ephrata, exigua scili-
cet, & paruula es, in millibus Iuda: ex te
tamen egressus est Dauid, & egredietur
multò Dauide præstantior, Messias. Sic
enim interpretatur Chaldæus Paraphra-
stes verba illa: *Ex te egredietur mihi, qui sit
dominator in Israel.* Perinde ac dices. Exi-
gua quidem, & negligenda, scilicet, est
Hispalis, inter Hispanicas vrbes: quæ ta-
men per se est opulentissima, & feracissi-
mos campos habet: & Traianū, & Theo-
dosiū, virósque alios multos primarios,
& Principes protulit. Nam Italica, à qua
hi oriundi erant: haud proculab Hispa-
li, sita est. Aut si dixeris. Exiguum oppi-
dulū est, Vallis oletum: nec nomine ad-
huc vrbis, inter tot Hispanorum ciuita-
tes, insignitum: & tamen Regiam Curiā,
& amplissimum Senatum alit: Reges etiā
(inter quos, Philippum, Regum maxi-
mum) in lucem edidit. Erasmus suspicia-
tur, Hyperbole esse, in illis verbis Mat-
thæi, *Nequaquam minima &c.* pro eo quod
est. Adeò quidem humilis es: ut ne mini-
ma quidem vocari possis, inter Principes

Iuda. Alij putant, verba illa Micheæ, paruulus es, in neutro genere esse vertenda: sic. Parū est, vt sis in millibus, aut in Principibus Iuda: hoc est, vna ex nobilissimis, & insignissimis vrbibus Iuda: Futura enim es omnibus insignior, ortu Messie qui in te est nasciturus. Dicunt enim, Hebræos, neutro genere carere: eiúsque loco substitui masculinū, aut fœminæū. Alij putant Matthæum, bona fide retulisse Sacerdotum, Scribarumque verba. (Nam qui Euangelistarum errorem allegant: qui non consultis autographis, veteris Testamēti testimonia produxerint, sed vt memoriæ occurrebant: blasphemant planissimè: nec dignisunt, quorū blasphemiae, in hac serie recitentur.) Alij sentiunt, testimonium hoc Michææ, recitari iuxta fidem versionis Syriacæ: quæ ea tempestate, in omnium manibus versabatur. Sunt quibus verba Michææ, per interrogationem legenda videantur. Et tu Bethlehem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda? vt negatio sit subintelligēda: nequaquam: quia ex te mihi egreditur Messias. &c. Mihi verò, planissimus adeò videtur Remigij Commentarius (à quo, non omnino alienus est Hieronymus

ronymus) ut semper miratus sim, quod tantum negocium facefferit hic locus, viris eruditis. Nam & Matthæus, & diuinarum literarum Interpretes (qui non à scribendo, sed ab Scriptura sacra, quam diu noctuque versabant, Hebraice, sophrim, idest, Scribæ sunt appellati) hoc Michææ Vaticinium, non ad verbum: sed Paraphrasticè, ut cōmodius, & aperiūs ab Herode, & Magis intelligeretur: recitarunt. Itaque, seruata sententia: à verbis paululùm declinatum est. Et tu Bethlehem Ephrata (inquit Michæas) ut eam distingueret, ab alia Bethlehem Galilææ, in forte Zabulō. Iosu. 19. A qua oriūdus fuit Abesam, Iudi. 12. Hoc idem fecit Matthæus, dicens. Et tu Bethlehē, terra Iuda. Michæas addit, paruulus es. Si mēnia scilicet, & vrbis frequentiam spectes: exiguus es vicus. Si tamen, oriūturi in te Ducis, ac Regis Messiæ dignitatem, & præstantiam consideres: nobilissima, & insignissimæ es omniū vrbium: etiam, Principū Iude. Priori sensu, dictū est à Michæa, paruulus es: posteriori, à Matthæo, nequaquam minima es. Porro quod Matthæus dixit, in Principibus: Michæas, in millibus: in causa est, ambi-

guitas vocis Hebraicæ אַלְפָה aleph : quæ
 & millia, & principes, significat. Ha-
 bet autē Epithasim, illud mihi, Micheæ,
Ex te mihi egredietur, qui sit dominator &c. id-
 est, in gloriam Dei, & utilitatem to-
 tius populi : Est autem apertissimum
 testimonium de Christi diuinitate,
 quod sequitur. Et egressus, aut eges-
 siones eius (nomen enim illud, pluralis
 est numeri) ab initio, à diebus eternitatis.
 Utitur autem plurali: quia filius sem-
 per, iugi emanatione procedit à Patre:
 Iesus Christus, heri, & hodiè: ipse, in se-
 cula. Idest, Christus erit verus homo, &
 verus Deus: Patri coeternus. Dubium
 est, an mala fide, vltimam hanc Vaticinij
 Pericopem, Sacerdotes, & Scribæ, sub-
 duxerint: ne Messiæ diuinitatem, Her-
 des agnosceret: ut Chrysostomus arbitra-
 tur. Mihi persuasum est, paucissimos ex
 Iudeorum gente, Regnum spirituale
 Messiæ, eiūque diuinitatem intellexisse.
 Quod hoc loco satis ostendunt Ra-
 binorum Commentaria: quæ hanc Mi-
 cheæ Prophetiam, ad decretum æternæ
 predestinationis detorquent. Et emana-
 tiones, inquit, eius (plurale pro singu-
 lari,

lari, more Hebraico) Emanatio, aut egresio, aut ortus eius: scilicet, Messie: decretus est ab æterno. Quanquam sint non nulli, qui hunc locum, violenter, & coætè, & omnino repugnantem, ad Zorobabelem Traducant: cùm ille, ortus Babylone fuerit.

6 *Et ecce Stella, quam viderint in Oriente,*
&c.) Hic locus explicare videtur, nō habuisse, scilicet Magos, Ducis comitem, stellam. Quapropter, ea fulgente, & se itineris ducem præbete: gauisi sunt gaudio magno valde. Non enim potuit maiori verborum pondere, Matthæus, gaudij magnitudinem: quam iterum viso sydere, & de spe sua cœlitùs confirmati, sacri hi Philosophi, & Reges, animo conceperant: explicare. Mirum autem videatur vehementer, si cœlesti hoc astrum, post exitum, & profectionem Magorum ab Hierosolymis, publicè ab omnibus est conspectum: quod natum Regem, soli ipsi requisierint. Verum forsitan, non omnibus datum est, splendidissimum illud iubar conspicere: aut Cometes, eorum instar fuit: quos Astronomi ferunt, adeò & figura, & situ, & luce, fixis syderibus esse similes: ut vix à peritissimis

Astro

Astrologis secernantur. Ego verò existimo, Reges, clam vocatos ab Herode, post prandium (nam fortè eos hospitio suscepérat: (fuit enim Herodes magnificéissimus: vt Iosephus affirmat) & sub Vesperum , in vrbem Bethlehemiticam profectos: quę Hierosolymorum ciuitati, propinquissima est, (nisi enim nos , aut scala miliarium , aut locorum situs , in carta quam habemus Geographica , fallant: vix distat Bethlehem ab Hierosolimis, octo passuum millibus) sub noctem, Stellam antecedentem vidisse (quam viderant in Oriente) usque dum veniens, staret suprà, vbi erat puer.


7. *Et intrantes domum &c.)* Theophilactus obseruauit , Magos, Dominum Iesum , non in antro illo , in quo natus est, inuenisse: quò se contulerant beatissimi Coniuges, Maria , & Ioseph, quòd non fuisset illis hospitij copia , præ turba , & eorum multitudine, qui Bethlehem cōfluxerant, nomina daturi. Quapropter, oportuit eos, in suburbanum agrum diuertere, vrbì propinquum: qui erat (quę admodum diuus Iustinus Martyr & Philosophus, & Nicephorus lib. 1. cap. 12. & Marianus Reatinus Episcopus , in scho-

liis

liis in epistolam Hieronymij. 48. & omnes Syria affirmant.) Mariæ Salomæ: ubi compertum habebant speluncam esse exiguum: eoque fugiēdi strepitus atque tumultus gratia, & hospitij (ut prædiximus) in opia, se receperunt: ibique sacra-tissima Virgo, in loco usque adeò angusto, atque neglecto, peperit filium suum Primogenitum. Verum aliorum deinde discéssu, habuere domunculæ alicuius copiam: in eaque fœlicissimi hi Reges, atque Philosophi, inuentum diuinum Infantem, cum Maria matre eius (nam fortè tunc Ioseph aberat.) procidentes adorauerunt, & mysticis muneribus ve-norati sunt.

8 *Et responso accepto in somniis &c.* Confirmat hic locus, quod nos paulò superiùs diximus: Magos scilicet, non solum ortu Stellæ: verum diuina quoque reue-latione admonitos, profecitionem, & iter in Hierosolymorum urbem, quæ situri Regem illum natum, qui Deus, & homo erat: adornasse, & instruxisse. Hic enim, de reditu in patriam, & de negligendo Herode, diuino Oraculo admonentur.

S V P E-



SUPERIORIS
Euangelici fragmenti, moralis expositio.

9  V O D Christus Redemptor noster, sub Herode nascitur: satis indicat, rebus conclamat, & perditis, Deū opem ferre: nēpe, in tribulationibus, quæ inuenierunt nos nimis. Sic sub Ioram⁴. Reg. 7. obfessę Samarię, & fame ingenti, ac omnium rerum penuria laboranti: & Hierusalem sub Ezechia, cùm iam omnia humana præsidia essent deplorata: cœlitùs succurrit. Nec mirandū, quòd Herodes regnet, Christusque Rex Regum, in spelæo ortus, paulò post Herodem fugiens, Ægyptum adeat: nam Rerum publicarum id peccatis exigentibus, incomprehensibili Dei consilio fit sæpe, vt Regna obtineant Hypocritæ: & mali bonis, & stulti Sapientibus imperent. Quapropter, eleganter

ganter Ecclesiast. 26. versu 25, scriptum est. *In duobus contristatum est cor meum : & in tertio, iracundia mihi aduenit. Vir bellator, deficiens per inopiam : & vir sensatus, contemptus : & qui transgreditur de iustitia, ad peccatum, Deus parauit illum, ad Rompheim.* Vulgoque ita comparatum est: ut viri virtute, pietate, literis, & eruditione præstantes, graue imperitorum, & ambitiosorum hominū iugum, patientur: quod egregia indoles, & virtus, non honori illis, sed inuidiæ fit. Vidi (inquit, Salomon Eccles. 10.) malum sub Sole. Positum stultum, in dignitate sublimi: & diuites, sedere deorsum. Vidi seruos, in equis: & principes, ambulantes super terram, quasi, seruos. Nabucodonosor apud Danie. 4. c. vidit arborem excelsam, atque frondosam: cuius ramos, atque cacumina, obtinebant aues: subtus verò eius umbra protectæ feræ bestiæ, & cætera animalia, habitabant. Hæcerat Reipub. & Monarchiæ facies, quā, ex bono & æquo, æqui Principes administrabāt: ius suū vnicuiq; tribuentes. Verū hac nostra tēpestate, proh dolor, vide as Herodē Regno præfici, fugientē Iesum: superexaltatos, & eleuatos impios, bestias, imperitos, & ignaros Reip. culmi-

culmina obtinentes: aues verò, hoc est, viros insigni virtute, eruditione, & rerū agendarum scientia, præditos, sedere deorsum.

10 Quòd verò Magi ex gentibus, Stella fulgente, ad Christum vocantur: Sacramentum illud ingens est, vocatio-
nis Gentium: quod c. superiori indicaui-
mus. Gentes scilicet, esse cohæredes, &
cōcorporales, & comparticipes promis-
sionum eius in Christo Iesu, per Euan-
gelium. Quod profectò sacramentum,
adeò est archanum: siue Gentes, siue sin-
gulos mortales spectes: ut oporteat, pro-
clamare cum Paulo. O altitudo diuitia-
rum sapientiæ, & scientiæ Dei. Quàm in-
comprehensibilia sunt iudicia eius, &
inuestigabiles vię eius. Quem locum, or-
natissimè tractauit Paulus Roma. 9. Di-
uinis autem Vaticiniis fuerat olim præ-
dictum: non solum Iudæos, verùm Gen-
tium quoque omnium populos, partici-
pes futuros beneficiorum Christi. Hoc
tamen interest: quòd Iudæis Christus, à
Deo Patre missus est, ex iustitia (eis enim
fidem suam obligarat) Gentibus verò,
ex misericordia. Quod Paulus Roma. 15.
expressit, inquiens. Dico enim, Christum Ie-
sum

sum, ministrum fuisse Circuncisionis, propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum: Gētes autem, super misericordia honorare, Deum. Deinde producit multa diuinorum literarum testimonia, quibus vocationem Gentium confirmet: quæ similex explicat, diuinum hoc vocationis munus, & Gentibus, & Iudæis, ex misericordia contingisse. Iudæis quidem: quod gratis, & clementer, & ex misericordia, filium voluerit polliceri: quem, facta deinde promissione, ut suis promissis staret, ex iustitia praestitit. Gentibus autem: quod cum nihil eis fuisset pollicitus: noluerit tamen eas, suorum beneficiorum esse expertes.

ii Ostendit præterea, peculiaris hęc Magorum vocatio, diuinam vocationē, esse liberam: quæ tamen, & firmum fundamentum habeat, diuinam scilicet prædestinationem, & voluntatem: cuius dari non potest causa, præter diuinam $\epsilon\nu\delta\sigma\xi\alpha$. Ita Pater: quoniam sic fuit placitū ante te. Voluntas tamen diuina, non potest, non esse æquissima: atque eam ob causam, vocatur $\epsilon\nu\delta\sigma\xi\alpha$ siue beneplacitum: quod nihil illi, nisi iure, & meritō, & benē, placeat. Vocat enim ab Oriente auem, & de terra longinqua virum: sed

non quemcunque : sed voluntatis suæ.
Quod quidem , et si de Cyro Isaias pro-
tulerit : de priuata vniuerscuiusque voca-
tione, interpretari potest. Et quamquam
(vt Augustinus inquit) infiniti propè
sint, vacationum modi: dum alios bene-
ficiis: alios terroribus , atque flagellis, a-
lios verbi sui efficientia mirabili , alios
intrariis impulsionibus , & instinctibus:
alios pia sacrorum , ac piorum librorum
lectione: alios, Sacramentorum vi: alios,
ipsa suorum facinorum turpitudine , &
atrocitate: alios denique , violenter, &
quodammodo repugnantes, & longè di-
uersa meditantes, ad se (vt magnes fer-
rum) Deus rapit, & trahit: vt Paulū. Ad-
mirandum profectò tamen , & stupen-
dum vocationis genus, hoc est: quo Ma-
gos, ad se vocat. Per eadem námque stu-
dia, quibus homines sunt dediti, & addi-
cti: ac eisdem mediis, quibus plerumque
ipſi Deum inuenire desiderat: benignè,
atque clementer, se illis offert. Magos,
Astrorum contemplationi deditos per
Astra vocat. Piscatorem Petruim, ingenti
piscium captura: quam cum ille præter
confuetudinem, & naturæ ordinem, esse
cerneret: ait. Exinde Domine: quoniam
hinc

homo peccator ego sum. &c. Thomam,
 Dicentem: Nisi misero digitum meum,
 in loca clauorum: & misero manū meā,
 in latus eius: non credam: Quām mife-
 ricorditer, quām dulciter, quam aman-
 ter, incredulum adhuc, & cespitantem:
 eisdē ipfis, quæ ille proposuerat, mediis,
 vocat? inquiens. Infer digitum tuum, in
 loca clauorum: & mitte manum tuam, in
 latus meum: & noli esse incredulus: sed
 fidelis. Proculdubiò, hoc est, quod per
 Oscā olim prænuntiatum fuerat. In funi-
 culis Adam, traham eos: in vinculis Cha-
 ritatis. Hoc est: dulciter, amanter, beni-
 gnè clemēter, misericorditer. Nam cùm
 homines ritu ferarum animantiū, ratio-
 nis expertium, viuentes, fustibus effent
 adigendi ad diuinæ legis obseruantiam:
 vt solent cogi iumenta refractaria, & re-
 calcitrones equi: Ego tamen, in funiculis
 Adam traham eos (Deus inquit) id est,
 more hominum, ratione præditorum.
 Cum eis agam: trahens, & vocans eos a-
 mātissimè, & eos mihi deuinciens, arctis-
 simis charitatis vinculis, & amplexibus.
 Sequar eorū studia: & non aliter ac Au-
 cupes, & venatores, his rebus, quibus ip-
 si delectantur, eos capiam.

12. Obseruandum verò maximè in
hac Historiā Christum Iesum , Seruato-
rem nostrum , nihil moratum , aut æter-
ni Patris obedientiam, aut officium suū.
Feruet enim eximia charitate sacrum il-
lius pectus:& vix in lucem editus, Pasto-
res per Angelos, & Reges per sydera, ad
se vocat. Iure ergò diuinis Isaiæ vatici-
niis, olim fuerat prædictum, Voca nomē
eius, Accelera, Spolia detrahere : festina
prædari. Qui diuini Vatis locus, adeò est
fœcundus, opulentus, diuinisque sacra-
mentis refertus: ut nō abs re, priusquam
hæc illi verba paucissima , à Deo essent
proposita: audierit. Sume tibi librū gran-
dem, & scribe in eo, stilo hominis. Velo-
citer spolia detrahē &c. Cùm enim tota
huius vaticinationis scriptura , voculis
tantum quatuor constet (ex quibus, duæ
sunt monosyllabæ) syllabis prætereà
septem , & literis vndecim (sic enim
habent Hebraica שָׁבַת נִשְׁרָבָת id est:
lemaher salal.chas BbaZ) quorsum opus
erat libro grandi, ni paucissimis illis ver-
bis, grādia quoque rerum archana clau-
derentur : & quæ Deus, omnibus nota
esse, vellet? Quò pertinent illa verba. Et
scribe in eo, stilo hominis: id est, literis no-
tis,

tis, atque vulgaribus, & quibus assueuerunt homines. Quo etiam sensu, Habacuc. 2. scriptum est. Scribe visum: & ex plana eum super tabulas: ut percurrat, qui legerit eum. Ut Prophetæ ipsius maiestate, & insolito, ac novo loquendi genere: vulgus etiam excitaretur ad intelligenda mysteria, quæ paucissimis illis literis consignabantur. Sunt qui putent, Prophetiam hanc, continere Epistolam, quam Deus Regi Assyriorum (ut Christi typo) mittat: cuius Epigraphæ sint, priora illa duo verba: *Velociter spolia detrahe.* Vertūt enim velociter spoliāti, aut spolia diripiēti: *lemaher, Salal.* Et sequatur Epistola ipsa, duabus aliis dictionibus monosyllabis cōprehēsa: *Chas, Bbaż:* idest, citò prædare. Atq; hi quidē, literā, lamed, pro datiuī Articulo, sumpsiſſe videntur. Ceterū cū literā illa, Gerūdio, aut Infinituo iūgitur: usurpatur pro, ad. Quapropter, elegātissimè Pagninus vertit: ad festinandū spolium, accelerauit prædam: Ut verba hæc, in mirabilem illam Christi proponentiam, festinantiam, & celeritatem, referantur: qua vixdum natus, alligauit fortem: & vasa, ac spolia eius diripuit: Confestim quippè, veluti celebratis pu-

blicis, atque communibus generis humani comitiis: Iudæorumq; Pastoribus ac Gentium Magis totius orbis legatione functis: utrumque populum, fide sibi, & amore deuinxit. Et die octauo, effuso sanguine: sempiterno Patri, generis humani pretium spopodit, atque repræsentauit. Exiguum illum ac infantilem sanguinem; velut tessaram, & signum, Patri præbens, ingentis & immensi illius pretij, quod pro afferenda mundi vita, ad Crucis mensam, diris & incomprehensibilibus pœnis, atque cruciatibus, sponte aditis: erat redditurus. Ut hi facere solent, qui de pretio rerum ingentium, inter se conuenientes: accepto in signum, aut in tessaram pacti initi, anulo, aut exigua parte pretij: cetera, ad mensam numerada, designato tempore, remittunt. Atque adeò festinauit Christus, prædam à faucibus Diaboli eripere, funditus euersa illius tyrannide, & stirpitus euulso, & excisso illius imperio: ut in vitæ flore, id est, anno etatis sue trigesimo tertio, & paucarum horarum spatio, rapi voluerit: ut iure ab eodem Isaia, dictum sit sanè. De Angustia, & de iudicio, sublatus est: id est, celerrimè. Tanto porrò impetu, in mortali

mortalium hostes, dæmones, velocissimus, & insignis prædator hic noster, gratus est: ut ab eodem Vate Euangelico, scriptum sit. Omnis violenta prædatio cum tumultu, & vestimentum mixtum sanguine, erit in combustionem, & cibus ignis. Quem locum, sic dilucidiū rediderūt Septuaginta. Quia omnem stolam congregatam dolo, & vestimentum commutationis restituent: & cupient, igne esse combusti. Sermo est de Christo, qui foras eiecit huius mundi Principem: & prædam, quam ille dolo, & malis artibus dit ipuerat, eius manibus extortus: ut sensus sit. Reddet proculdubio. Satanás, reddent & eius ministri, ac satellites Dæmones, animas: quas, per peccatum, diuinis ornamentis, idest, gratia, donis; atque virtutibus nudauerant. Quibus, si optio daretur: mallēt, perire flammis: quam prædam amittere, & animas, doloraptas, restituere. Hanc Christi festinatiam, explicant crebro diuinæ literæ. Nam Sponsa illum describit, salientem in motibus, & colles transfluentem. Et Psal. 19. de eo scriptum est. *Exultauit ut Gigas, ad currēdām viam, &c.* Quibus igitur verbis, qua orationis copia, &c

eloquentia , aut qua dicendi facultate,
explicari potest: quanta nos socordia , &
negligentia , huic , Christi Iesu Redem-
ptoris nostri , festinationi occurramus?
Quàm simus , ad illius vocationem sur-
di , & negligentes ? Oremus ergò illum
instanter , & assiduè , vt lethalem hanc le-
thargum , & pestiferum veternum , ani-
mis nostris excutiat , atq; depellat . Oremus
inquam , cum Spōsa : Trahe me post
te:curremus.

13 Quòd verò Reges , sapientia insi-
gnes , Christum requirunt : ostendit pla-
nè , fœlices futuras Respublicas (vt dixit
Plato) si aut Reges philosophentur : aut
Philosophi , Regnis præficiantur . Re-
giūmque esse , diuinis parere legibus : &
ea , quæ illi placita sunt , semper medita-
ri . Dedit quippè Regibus Deus , posse-
siones Gentium : & labores populorum
comedunt : vt custodiant iustificationes
eius , & legem eius requirant . Vide quàm
prosperè cesserit Dauidi , Iosaphat , Iosia ,
& Ezechia , Regibus : quòd quæsierint
Deum , in corde perfecto : id est , syncerè ,
candidè , & ex animo . Memento Domi-
ne (inquit Ezechias , iamiam moritus)
quomodo seruierim tibi , in corde perfe-
cto .

Et. Atque his paucis verbis: & vitam, &
prolem, & aduersus hostes triumphum,
atque victoriam, impetravit. Quæren-
dus igitur Christus: qui, ut inquit Pau-
lus, est vita nostra, in quo viuimus, mo-
uemur, & sumus: sicut Deut. 30. scriptum
est. Adhæreas Domino Deo tuo: ipse
enim est vita tua. Quia ecce, qui elongat
se à te: petibunt &c. Quærunt autem
Magi Christum, Hierosolymis: quod
Hierusalem, typum Ecclesiæ gesserit: in
qua, veritas earum rerum, quæ ad fidem
spectant, requirenda est: & extra quam,
non est Christus. Viuit Dominus: cuius
ignis, est in Sion: & caminus, in Hierusal-
em. Benedicat tibi Dominus, ex Sion:
qui habitat in Hierusalem. Idest: qui est
ciuis Hierosolymitanus. Hispanicè. Quæ
tiene su Casà y hogar, en Hierusalem. Habet e-
nim Templum, & Altare, & Propitiato-
rium: vnde fundit Oracula. Ne ergò ex-
pectes diuinæ voluntatis Oraculum, ex-
tra Ecclesiam: de qua scriptum est. Et vo-
caberis voluntas mea, in ea: & terra tua
inhabitabitur: quia complacuit Domino
in te &c. Quamobrem, rediuius Iesus,
conuefcens, præcepit Apostolis, & his,
qui Christianæ pietati nomen dederant:

ab Hierosolymis ne discederent: id est, ab Ecclesia. Sed expectarent promissionem Patris, quam audistis, inquit, per os meum: quia Ioannes quidem, baptizauit aqua: vos autem, baptizabimini Spiritu sancto. Non enim datur Spiritus sanctus, extra Ecclesiam.

14. Quòd turbetur Herodes, qui per tyrannidem, Iudæorum Regnum inuaserat, ad nuntium Regis nati: nihil mirū. Non enim est genus hominum, adeò suspicax, adeò meticulo sum: ut Tyranni, & hi, qui mentis sibi malæ consciæ, stimulis aguntur. Quòd verò cum Rege, populusturbetur: familiare populi, & vulgi vitium, explicatur: nempe, adulatio. Ut enim umbra, vniuersos sui corporis motus imitatur: sic vulgus, Regum affectus. Ut non aliter, ac imbricamento rum ventispicia, aut pelagi fluctus, versus eam partem, qua ventus ingruerit, agitat: vulgianimus, ad eas mentis affectiones inclinet, in quas viderit, suos Principes inclinare. Vide, quām facile Emor, Sichimitanis circumcisionem: & Hieroboam, Hebræis Idololatriam, persuaserint. Iure ergo, scriptum est. Qualis Rector ciuitatis: tales, & habitatores in

in ea. Et iterum. Qualis Princeps populi: tales, & ministri eius.

15 Quòd verò Herodes , cōsultis Iudaicæ gentis Sapientibus, & Sacerdotum Principibus , Magos , tanquam exploratores, in Bethlehem mittit, Christū quæsituros : vt & ipse veniens , adoret: aperte indicat, multos esse, qui res per se præclaras, & excellentes, à viris, disciplinis, & literarum cognitione præstantibus, velint discere: non vt boni fiant, aut rebus cognitis benè vtantur : sed contrà aut vt ea ratiōne , cōmodius suis cupiditatibus obsequantur, & habeātur in pretio: aut vt ditescant , & mundi fauorem, gloriam , & pompam aucupentur. Hos vocant diuinæ literæ vbiique, mundi Sapientes : qui sua scientia , minimè perficiuntur, sed inflantur: quorum sapientia, quia carnis est, Deo aduersatur. Tales videoas describi s̄epe in Euangelio , Scribas , & Phariseos. Habet autem hodie mundus quamplurimos , Herodi simillimos: hoc est, Hypocritas, & qui pietatem eximiam præferat: vt eius extraria specie, & pulchritudine, simplicibus fucum faciant , & imponant , & præstigientur: cùm non sint solliciti de Christo, vt eum ado

adorent: sed ut illum interimant, verāmque Religionem, & pietatem, funditus euertant. Ut & ego, inquit, veniens, adorem eum. Non dubium est, Magos, nati Regis diuinitatem, Herodi proposuisse: alioqui vanus videri poterat illorum labor, qui adoraturi Regem, aliis Regibus similem, tot labores subierint, & tantum itineris exantlauerint. Quò fit, ut adorare (quod verbum latè patet diuinis in literis) hoc loco propriè, pro eo cultu, & veneratione, quæ Deo impenditur, & significantissimè Græci, latriam vocant, usurpetur. Hunc etiam cultum, profiteretur Herodes, se exhibitrum nato puer: sed dolosè, & fraudulenter. Nūc verò subiit animum meum admiratio: & quotienscumque mecum reproto, quam transuersos nos agat, nostri ipsorum cōceptus amor. Nūc enim efficit, ut quæ per se sunt clara: dēfissimis, & plus quam cymeriis tenebris, obducantur. Nūc, ut vera, & diuinis Oraculis prænuntiata: produbiis, & incertis reputemus. Nūc, ut non dubitemus, diuina consilia eludi, & destinatos à Deo euentus, humana posse ratione frustrari: cùm scriptum sit: Non est sapientia, nō est prudentia, non
est

est consilium, contra Dominū. &c. Christus Redemptor noster Luc. 28. acerbissimæ mortis suæ historiam, ita aperte, atque perspicuè ob oculos proposuit Discipulorum suorum: ut nullus superesset locus dubitandi. Ecce ascendimus (inquit) Hierosolymam: & consumabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas, de filio hominis. Tradetur enim Gentibus: & flagellabitur, & conspuetur: & postquam flagellauerint eum, occident eum. &c. Quid obsecro, proponi potuit, dilucidius? Verum, ut videoas quam difficultè intelligamus, id quod nostris, aut votis, aut cupiditatibus, aduersatur, sequitur. Et ipsi nihil horum intellexerūt: & erat verbum absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur. Hoc insigni Pleonasmo, rem esse prorsus stupendam, atque mirabilem, Lucas explicauit. Saul proculdubio compertum habebat, Dauidem Regnum initium. Scio (inquit. 1. Reg. 24.) quod certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tua Regnum. Idem fatetur de patre suo, Ionathas. 1. Reg. 20. Atcum fidem, & constantiam verbi Dei, non ignoraret Saul: adeò cœcutiebat sui amore, & regnandi cupidi

cupiditate captus, & longius à recto abductus: ut nihil non moliretur, Dauidem è medio sublaturus. Vix enim credimus, vñquam euentura : quæ contraria sunt nostris cupiditatibus. Heu, quotusquis que credit, se mortalem, mortem, & iudicium strictissimum, subiturum? Quotidie corrumpimur, quotidie commutamur, inquit Hieronymus, & immortales nos esse, credimus. Achab, nō credit Micae. 3. Reg. 24. Iudæi, non credunt cæconato. Iohan. 9. Herodes, suis dolis, diuina consilia putat, posselabefactari: cùm scriptum sit. Consilium meum stabit, & voluntas mea fiet. Et iterum. Congregamini gentes, & vincimini: inite consilium, & dissipabitur: quia nobiscū Deus. Quorsum ergò spectabat falsa illa religio: vt & ego veniens, adorem eum? Quorsum ille furor: videns Herodes, quod illusus esset à Magis, iratus est valde: & mittens occidit omnes pueros in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, à bimatu, & infrà, secundum tempus quod exquisierat à Magis?


16 Inuentum igitur puerum Magi venerabundi, procumbentes, adorant: & apertis Thesauris suis, offerunt ei Aurum,

rum, Thus, & Mirham. Primum omniū, ut doceant, qua pietate, anīmī deiectione, veneratione, & cultu, Deus colendus sit. Quid facturus es vermis, vulgīfex, & peccatorum sentina: si Reges procumbunt: Deinde, ut doceant, Christum non esse quærendum, ut temporariis, & mūdi opibus locupletemur: eorum in stat, de quibus scribit Paulus: Existimātes, quæstum esse pictatem. Et turbæ: quæ panū, ac piscium conuiuio, excepta à Christo, in deserto: nitebatur, eum, Regem diligere. De quibus Ioan. c. scriptum est. Amen, amen dico vobis: quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducaſtis ex panibus, & saturati estis, &c. Hanc etiam ob causam, abegit illum, qui tam prompto animo, in eius ſeſe contubernalium, & disciplinam dabat: inquiēs. Magister, ſequar te, quo cunque ieris, &c. Certè vix ſunt hodie, qui adeò apertè diuitiis inhiēt, ac nōs, qui religione, & Ecclesiastica militia ſumus inſigniti: & qui mundo renuntiaſſe, ac rebus caducis, & interituriſ, laqueum mandaffe videmur. Quapropter, formidandum est vehemēter, ne nos, qui in tot opibus acquirendis ſpeciem pietatis præferimus: ſimiles hiſ ſimus

simus, de quibus scriptum est. Munus
 quodcunque est ex me, tibi proderit. &c.
 Præsertim cùm tantùm à Conditoribus,
 & Progenitoribus nostris, degenera-
 mus: qui in summa paupertate, vitam nō
 in delitiis, & rerum omnium abundantia,
 transegerunt. Habentes (inquit Paulus)
 victum, & quibus tegamur: his con-
 tenti sumus. Et iterum. In fame, & siti, in
 frigore, & nuditate, &c. Regium ergo
 est, Christum quærere, & insignis an-
 monia, & pietate esse præditos: non ut
 ditemur, Episcopatúsque, ac pingues
 alias, & opulentas Ecclesiæ dignitates,
 consequamur: sed potius, ut nos, nostrá-
 que omnia, libenti, & alaci animo, ei
 offeramus: nempe facultates, si quas ha-
 bemus. Nam qui eas, pauperibus erogat:
 aurum Christo offert. Et beneficentiae
 (inquit Paulus) nolite obliuisci: talibus
 enim hostiis promeretur Deus. Animam
 præterea puritatem nitentem, & crebris
 orationibus, & affectibus in Deum, con-
 tendentem. Qui enim animum, virtuti-
 bus excultum, & ornatum: & orationis
 afflidae contentione, & studio, cælos pe-
 netrantem, Deo offerunt: thus offerunt,
 omni Arabico thure, & eo quod fert Sa-
 batorum

bæorum Regio pretiosius: de quo, scriptum est. Dirigatur Domine oratio mea, sicut incensum, in conspectu tuo. Qui verò carnem domant, & variis afflictionibus, & pœnis, de ea supplicium sumūt: coguntque renitentem, & recalcitrantem, obedire rationi, ac Spiritui: hi profectò, probatissimam mirrham veræ mortificationis, Deo offerunt: de qua, scriptum est, Digití mei, pleni mirra probatissima. Cant. 5. Et iterùm. Cor contritum, & humiliatum, Deus non despicias.

K





S E Q U E N T I S .
Euangelici contextus,
Exegesis.

VT adimpleretur, quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem. Ex AEgypto vocavi filium meum &c.) Testimonium hoc, sumptum est ex c. II. Osee. *Sicut mane transit: pertransit Rex Israel.* Licet Hebraica Biblia, quibus nunc utimur: hanc pericopem iungant ultimo versui capituli decimi: ut principium undecimi, fint verba hæc. *Quia puer Israël, & dileyxi eum: & ex AEgypto vocavi filium meum.* Non dubium est, vaticinatorem hanc, ad literam intelligendam esse, de exitu populi Israëlitici ex Agypto: quem Deus Exod. 4. filium suum primogenitum, vocat: & voce amantisima, eum frequenter appellare solet, cedula: id est, peculium: (ut omittam interim septuaginta illa nomina, amoris plena: quibus Hebræi dicunt, se à Deo, diuinis

Cabalei numerant

70. no-

mota fina

yuge amā

firma ab

Augustino

peculata in

I. f. 118.

diuinis in literis appellatos.) Hunc sensum inducit , ipse sacrorum verborum contextus: omnium sacrorum Interpretum,tam Græcorum, quām Latinorum, commentariis confirmatus. Nec ambigendum est tamen: ad literam, etiam de Christo, diuinam hanc Oseæ Proprietiam, esse intelligendam. Hic enim, vnuſ est, ex insignibus locis sacrarum literarum , qui habent plures sensus literales. Qualis ille Paralip. 22. *Ego ero illi,in patrem.* Quem Paulus Hebræ. 1. de Christo interpretatur. Et illud Exod. 12. *Os non comminetis ex eo.* Quod Ioan. c. 19. in Christum retulit. Et illud Psal. 8. *Ex ore infantium, & lactentium, &c.* Quem locū Christus ipse , in rem suam accommodauit, Matth. 21. Cūm enim duplex sit , sacrorum Oraculorum sensus literalis , siue historicus: quem scilicet Spiritus sanctus, Scripturę diuinę Author, per voces significari voluit: siue propriè accipiuntur (quemadmodum Deuteronomij 24. quò loci lex repudij , his verbis præscribitur. *Si acceperit homo uxorem , & habuerit eam : & non inuenierit gratiam in oculis eius,* propter aliquam fœditatem: scribet libellum repudij, & dabit in manu eius: & dimittet eam de

domo sua) siue impropriè, & metaphorice
(quemadmodum Isaiae 11. Habitabit lupus
cum agno: & pardus, cum haedo accubabit. Vitu-
lus & leo, & ouis, simul morabuntur, &c. Quæ
sequuntur. Quæ ad literam de Regno
Christi sunt intelligenda: & de efferis,
& barbaris nationibus, & gentibus: quæ
iam per Euangelijs prædicationem, ci-
cures effe&tæ: cum miti, & humili popu-
lo Christiano, in eandem fidem, & in
eadem studia pietatis conspirabunt. Et
puer paruulus, id est, doct̄or quispiam
humilis, & secundūm seculum ignobi-
lis: putà Petrus piscator, & Matthæus
Thelonearius: minabit eos.) Alter sensus
est mysticus: qui si per literalem, & hi-
storicum adumbretur, & asseratur à Spi-
ritu sancto: procul dubio, & ipse literalis
est. Sunt enim sensus illi duo subordina-
ti, vt unus per alterum significetur. Quā
assertionem, atque doctrinam, esse indu-
bitatam: docent innumera diuinarum
literarum testimonia. Quale est illud
de Serpente æneo. Ioan. 3. de Iona. Matt.
12. de duobus montibus, & duobus
Abrahæ filiis. Galat. 4. de arca Noe 1.
Petri 3. Ut omittam omnem fermè He-
bræorum historiam, quam explicat Pau-
lus

lus 1. Cor. 10. Quò loci apertissimè affir-
mat, finem legis fuisse Christum, ad sa-
lutem omni credenti. Quapropter Spi-
ritus sanctus, quo dictante, diuinæ literæ
sunt editæ: Sap. 7. vocatur unicus, & mul-
tiplex. Sub unius quippe literæ cortice,
atque putamine multiplicem sensum, &
incredibilem diuitiarum suarum copiā
claudit, atque reponit. Non est igitur
absurdum iudicadum, si facri Auctores,
plerumque in caput referant, quod de
membris etiam est interpretandum: aut
generalem Scripturæ sacræ sententiam,
speciatim interpretentur: vt Vatablus,
elegatissimus Auctor, annotauit, versans
locum illum Psal. 8. *Ex ore infantium, & la-*
etentium, &c. Verum hæc, alij alibi copio-
fiùs, & exactiùs: presertim vir profecto-
pius, & eruditus Ioannes Driedolib. 2. de
Ecclesiasticis scripturis, & Dogmatibus
c. 2. Vocatio ergo populi Israëlitici ex
Ægypto, adumbravit vocationem Iesu
Christi ex eadem Provincia. Conatus
est tamen Osiander, caput illud unde-
cimum Osee, ad literam de Christo in-
terpretari: sed superbè nimis iactans, se
solum, locum illum intellexisse: Hereti-
corum more, vniuersos antiquos, pari-

ter & recentiores sacrarum literarum
Tractatores, pro nihilo ducens. Cuius
sententiam, & commentarium, sequutus
est Isidorus, Episcopus Fulginas, in scho-
liis huius loci. Habet autem in hunc mo-
dum. Cum prius per Prophetam, Deus
hortatus esset Hebreos, ut pararent se
venturo Christo, vitae candore, & noui-
tate: euulsis Idololatriæ, & cæterorum
flagitorum, quibus populus ille abunda-
bat, spinis, atque radicibus: inquiens:
Nouate vobis nouale &c. (ut agro cordis
expurgato, & exculto, cum fructu, ven-
turi, & docturi Christi, diuinam sementem
exciperent:) transit in principio cap. II.
ad ipsum Christum, dicens. Sicut mane
transit, transit Rex Israël. Aut (ut alij
vertunt) sicut mane, pereundo periit: aut
extirpando, extirpatus est Rex Israël.
Non enim est sermo de Ela, Rege Israë-
litico: sed de Christo: ut sensus sit. Cum
venerit Doctor iustitiae, Christus: opor-
tebit, temporis articulum obseruare, &
præsentia eius opportunitate vti. Versa-
bitur enim breuissimo temporis spatio
inter mortales: & non aliter ac aurora,
quæ statim elabitur, præcedit diem: præ-
sentia eius corporalis, præcedet Euan-
gelicæ

gelicæ promulgationis gloriam. Quæ perinde ac splendidissimus, & fulgentissimus dies, Christo è medio sublatò, & cælos inuecto: missóque Spiritu sancto: longè, latèque illustrabit vniuersum terrarum orbem. Christus enim, Redemptor noster, anno 33. exacto vitæ suæ innocentissimæ: Crucem adiit: & tribus annis & dimidio, docuit. *Hæc autem* (inquit diuinus Vates admoneo: quia puer Israël est &c. Hoc est: quia populus Israëliticus, rudis, et puerilis est: aliorūmq; sentētias & opiniones sequitur: à quibus nonnunquam abductus, seducitur. Quò fit, vt cum Herode turbetur: & à Pontificibus persuasus, petat Christum crucifigi. Verùm cùm hæc ex ignorantia peccauerit: non possum non eum diligere propter futuram pœnitentiam, & antiquam Patrum, ac Maiorum suorum pietatem. Atque eam ob causam, ex Ægypto vocavi filium meum. Id est, cùm ad asserendam eorum libertatem, misissem filium meum Iesum: ne eius mortem, cum Herode sauientes, maturarent ante tempus à me præfinitum ab æterno: misi quidem primùm infantem, & puellum Iesum,

peregrinaturum in Ægyptum, vt furen-
ti Tyranno subtraheretur: ac deinde ex-
tincto Tyranno, Ex Ægypto vocauit
fium meum. Hæc illi.

18 Verum ut hunc locum, & multos
ei in diuinis literis parallellos, & si-
miles, pariter interpretemur: consen-
taneum est, vt semel ad vnguem ex-
plicemus, quo pacto sacrarum literarum
Vaticinia, dicantur, re exhibita, atque
completa. Sic enim, diuni Euangelicæ
historiæ Scriptores, loquuntur: *Vt adim-
pleretur quod dictum est per Prophetam, aut
Prophetas: siue ut Scriptura impleretur, di-
cens, &c.* Accidit porro id dupliciter. Pri-
mùm, cùm ea, quæ archanis in literis præ-
dicuntur, iuxta intentionem Spiritus
sancti, à quo potissimum sunt edite, re
exhibitentur, atque præstantur: siue id
Spiritus sanctus intenderit, ac designa-
uerit, per historicum, & literalē sensum:
siue per mysticum, in literali reconditū,
atque latētem, sed multò magis ab ipso
Almo Spiritu assertum, intentum, ac de-
signatum. Sunt enim multa nuda Vati-
cinia, quæ præter nudam historiam, ni-
hil contineant abstrusum, & archanum:
quale illud Micheæ, quod paulò supe-
riùs

riùs elucidauimus. *Et tu Bethlehem, terra Iuda &c.* Quibus verbis tantum prædictit diuinus Vates, nasciturum esse Christum, in Bethlehē. Et illud alterum. Isa. 7. *Ecce Virgo concipiet, &c.* Tantummodo enim vaticinatur Isaías his verbis, atque significat, Christum, oriturū esse ex virginē. Sunt tamen vaticinationes alie, quæ praeter literalem sensum, & historicum, aliū habeant abditum & latentem: nō aliter ac nucleum, literę putamine comprehēsum. Quale est sacrum illud de Salomonē, & de Christo (cuius typum gerebat Salomon) vaticinium 2. Reg. 7. *Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium.* Et illud alterum Exod. 12. *Os non comminuetis ex eo.* Quod profectò quotannis à Iudeis, in Paschali solennitate obseruatum: in Christo (cuius agnus ille imaginem adūbrauit & præsetulit) impletum est. Sic etiam Prophetia hęc Osee accipiēda est. Nam ad literam loquitur de populo Israēlitico, quē Deus optimus, maximus, ab Ægypto reuocauit. Mysticè verò, de Christo filio Dei legitimo, & naturali: quem filius ille adoptiuus, ab Ægypto reuocatus, præsignabat. Quod si literalis Scripturæ sacræ sensus iste est, qui afferi-

tur, & intenditur ab eius potissimo Au-
thore, nempe, ab Spiritu sancto: profectò
mysticus sensus, historico, & literalis si-
gnificatus, & ab Almo Spiritu potissimū
intentus, assertus, & designatus, literalis
etiam dicendus est. Intererit verò sic in-
ter purum literalem, siue historicum, &
literalem mysticū: quod ille per verba,
hic autem per res ipsas, à Spiritu sancto
significatur. Dicuntur præterea Scriptu-
ræ, re exhibitæ, atque complete: quando
ea fiunt, quæ in ipsis quidem Scripturis
sacris prædicuntur: verùm non his appli-
cantur, quibus primariè, & propriè, iuxta
Almi Spiritus intentionem, & mentem,
conueniunt. Tribuuntur tamen aut re-
bus, aut personis similibus: quibus non
minùs quadrare videtur, quam his, quos
primò, & principaliter, suæ orationis se-
rie, & stilo, cōprehendit Spiritus sanctus
Quale est illud Matth. 15. Hypocritæ, bene
prophetauit de vobis Isaïas, dicens, Populus hic,
labijs me honorat: cor autem eorum, longè est à
me. Et Matth. 13. ut adimpleretur in eis Pro-
phetia Isaïæ, dicentis: Auditu audietis, & non
intelligetis, &c. Hæc enim, & similia, etsi
in vniuersum, & in genere his conue-
niant, qui similes, & pares sunt moribus,
his,

his, ad quos orationem habebat Isaías: primò tamen, principaliter, & propriè, eos vult Spiritus sanctus perstringere, & notare, quos diuinus Vates alloquitur, sui temporis Iudæos. Vulgo autem recepta, & usitata est hæc loquendi formula: ut cùm ea, quæ dicuntur, aut siūt, rebus pridem dictis, aut factis sunt similia: hæc, illa esse ad literam (Hispanicè, al pie de la letra) dicere, quæ olim dicta, aut facta esse, memorantur. Pollicetur quispiam, in diuinorum rerum tractatione, res ingentes: habetur de illius commen-tationibus, magna expectatio: at his in lucem productis, nihil affert, quod non sit tenue, exile, & multùm infra omnium expectationem, & spem. Videtur, in hoc Auctore completum, illud prophani Vatis.

Parturient montes: nascetur ridiculus mus.

Quod quidem Horatius, de peculiari quodam Poëta, qui bellum Troianum canere instituebat, dixit. Per accom-modationem verò, personis, & rebus similibus, eleganter aptatur. Implorauit quispiam in conflictu literario, aliquius Doctoris patrocinium: cuius ope existimabat, facile se aduersus

Anta

Antagonistas staturum : quem tamen cernit , ad primum statim congressum, succubentem, & consilij inopem: apte dicit. Videtur,in Patrono hoc nostro cōpletum, illud Comici.

Huic opus est Patrono , quem ego defensore paro.

Agit quispiam de patre , miro amoris ardore erga filium affecto , quem vnicè amat: dicitque. Videres hominem , omnia negligentem, nihil curantē, vni huic rei mirificè intentum , vt præsenti filio delectetur , eumque apud se habeat , & videat: vsque adeò , vt in illo rectè completum dicas, illud Maronis.

Omnis in Aschanio, chari stat cura parentis.

Sunt qui hoc secundo modo, hunc locum Osæx , Christo conuenire existiment: nempe , per accommodationem. Cæterùm superior Commentarius videtur exactior: quem sequutus est Hieronymus. Sunt etiam qui hac loquèdi formula , hoc est , per accommodationem, dicāt, ad Christum pertinere illud Psal.

77. *Aperiam in parabolis os meum, &c. & Apostolis illud Psal. 19. In omnem terram exiuit sonus eorum, &c.* Et Infantium cædi, quam Herodes in Bethlehem , & in omnibus finibus eius exercuit: illud Hiere. 31. *Vox*

in Rama audita est, &c. Qui profectò interpretandi modus, facilis, & expeditus est: modò ne per accommodationem dicta intelligamus, quæ ex professo ab Almo Spiritu, de Christo, tanquam de Ecclesiæ capite, & scopo legis, sunt asserta. Quia in re, maximo delectu, atque iudicio, est opus. Nec est existimadum, Ægyptios, apud quos hodie etiam celebris est locus, & maxima veneratione cultus cui, *Matarea*, nomen est: in quo puerus Iesus, cum dulcissima matre, & sacratissimo patre, & nutritio Ioseph, exul, & profugus habitauit: non procul à Cairo vrbe, eius nunc Regni Principe, expertes penitus, & ignaros diuinæ Incarnationis fuisse. Diuus quippè Dorothæus *Concordas* Martyr, & Tyriorum Episcopus, in Sy- *Epiphanius*
in vita nopsi affirmat, Hieremiam, diuinū Va- *Hieremie* tem, summa ab eis Religione cultum: eiusque Reliquias, Magnum Alexandrum, condita in Ægypto nominis sui vrbe, ex Tanni, celebri Ægyptiorum ciuitate, in eam, Religionis, ac patrocinij causa, intulisse. Locum verò, ab Alexandrinis Tetraphylum, appellari: prodit Sophronius Patriarcha cap. 77. Prati spiritualis. Ab eoque Vate instructos Ægyptios

ptios, inquit Dorothæus, Deum ex Vir-
 gine orituram, didicisse: eamque, ex se
 genitum Infantem, hospitij inopia, in
 præsepio reclinaturam. Quamobrem
 Ægyptij etiam Diui Dorothæi tempe-
 state, Virginem in lecto, & Infantem in
 præsepio, adorabant. Quò fit, vt recepta
Anisian
nbs Gal
ue, vulgo
El Puy
 Anisij opinio, de Imagine illa sacra diuæ
 Virginis Mariæ, quæ summa veneratio-
 ne culta, in Ecclesia Principe seruatur:
 manu sacri huius vatis, Hieremiæ, con-
 fecta: quæ puellum Iesum, finu gestat:
 vera esse possit, cùm ab Ægypti Solda-
 no, Principi de Pollinac, dono data fera-
 tur: & locum illum sibi sacrum, & effi-
 giem, maximis, & frequentibus miracu-
 lis, Virgo beatissima illustret. Admonui-
 mus nos testimonij huius diui Dorothç
 (quod maximè sacræ illius statuæ vene-
 rationi fauet) illustrem, & pientissimum,
 Ecclesiæ summæ Thesaurarium (vt vo-
 cant) siue Sacristam: cùm diuinam illam
 Effigiem beatæ Mariæ, celebrato etiam
 Sacro, essemus venerati hoc anno 1580.
 cuius potissimum ope, ex apertissimis pe-
 riculis, & Hereticorum inuasionibus fre-
 quentibus, sumus ereti, & liberati: du-
 etu obseruandissimi, & religiosissimi pa-
 tris,

tris, Domini Petri de Monte, meritissimi Prioris Cartusiæ de Castris: viri optimi, eruditæ & præstantes.

19 Tunc Herodes, videns, quod illusus esset à Magis &c.) Ex vi, & significatione ad uerbij huius, tunc, videtur, Euangelicæ orationis series, & continens, ac perpetuus ductus, postulare, statim post Præsentationem Domini in templo, hoc est, post quadragesimum diem ab eius ortu: Herodem intellexisse, Magos, quos ille forsitan illusos arbitrabatur, nec pre pudore ausos Hierosolimam reuerti: inuenisse quidem sacrum Infantem: intellectis tamen suis insidiis, nihil ei renunciasse. Nam cum multi rumores de natuitate Christi iactarentur, quos partim Pastores, partim Magi in vulgus ediderant: illo potissimum Purificationis die, prædicantibus eius magnitudinem, ac diuinitatem, Anna, & Symeone, his qui expectabant redemptionem Israël: fama de eius ortu, vulgata, & confirmata est: quæ non potuit non Herodis Regia, & Tyranni patentissimas, ad hos potissimum rumores, aures, penetrare, & attingere: præsertim cum hec Hierosolymis accidissent. Quo effectum est, ut furore,

& eſtro percitus: missis ſatellitibus, Beth lehemiticōs Infantes occiderit. Æthio-
pes verò (quos Abyssinos vocamus) puellorum ſacrorum numerū, quatuor-
decim millium fuiffe, affirmant in Ca-
none Miſſæ, quam more, & ritu ſuo cele-
brant. Poteſt tamen aduerbiū tunc,
commodè ad id tempus referri, quo ſu-
peratis apud Auguſtum filijs, Roma Hie-
roſolymā reuersus eſt: propter vſitatas,
& crebras, diuinarum literarum antici-
pationes, & recapitulationes. Nam etſi
nulla historia prodiderit, Romam hoc
tempore, ab Auguſto Herodem reuoca-
tum: narrat tamen Iofephus, circa hæc
tempora, accuſantibus filiis, compulſum
eſſe, cauſam Romæ apud Auguſtum di-
cere: eoque eſſe profeſtum. Cùm verò
rediiffet viator: re forſitan, cum Auguſto
communicata: bienniò poſt Magorum
aduentum, aut circiter, infandum hoc,
& immane facinus, auſum. Quòd fiſta-
tim poſt quadragēſimum ab ortu Christi
diem, & fugam eius in Ægyptum, Infan-
tes ſuſtulit: verba illa (*mittens occidit omnes
pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus fi-
nibus eius, à bimatu, & in frà: ſecundum tempus,
quod exquisierat à Magis*) ſic ſunt intelligen-
da,

da quemadmodum superius subindica-
 uimus: & volunt Euthymius Zigabonus,
 & Canus Episcopus Canariensis. Nem-
 pe, ut illa Pericopes (*secundum tempus*, quod
 exquisierat à Magis) nō referatur in omnia
 verba præcedentia: sed tantum in parti-
 culam illam (& infra.) Legendum enim
 est in hunc modum. *Mittens, occidit omnes*
pueros qui erant in Bethlehem, & in omnibus fi-
nibus eius, à bimatu. Et facta hoc loco, hypo-
 dia stolæ inferenda sunt verba sequentia
 (& infra, *secundum tempus*, quod exquisierat à
 Magis.) Si verò quæras, quorū sum bimulos
 occiderit: cùm cōpertum haberet, pau-
 cis antè diebus, visam à Magis stellam?
 Respōdeo. Forsitan eorum verbis fidem
 non habuit: cùm apertè ab eis esset delu-
 sus. Aut forsitan, ea sœvitie & immanita-
 te, qua iussit occidi puellos: non solùm
 in Bethlehem, verùm in locis quoque
 collimitaneis, atque finitimis, locum ex-
 tendens: extendit etiam, & prorogauit
 tempus, ut in biennes quoque, & inno-
 xios Infantes, parricidiū exiceret: hoc
 ita Deo permittente, vt plures in suam
 gloriā, & puelli Iesu, eximiis laureis de-
 corandi: tanquam Euangelij, & Marty-
 rum primitiæ, gloriose occumberent.

De quibus, elegantissimus Poëta Prudentius, dulcissimè cecinit.

Saluet, flores Martyrum:

*Quos lucis ipso in limine,
Christi Insecutor sustulit,
Ceu turbo, nascentes rosas.*

*Vos prima Christi victima,
Grex immolatorum tener:
Aram ante ipsam, simplices,
Palma, & coronis luditis.*

20 Quòd verò impij, & non minus quam ipse Herodes, sæui, impuri, & immanes Anabaptistæ, Historiam hanc Magorum, expungendam esse affirmant ab Euāgelio Matthæi: quòd nec de Magorum aduentu, nec de Infantium interitu, Iosephus, aut alius quispiā prophanus Author meminerit: Respōdemus primū omnium, sacrarum literarum fidē, à Spiritu sancto, illarum Authore: non ab Æthnicis, & prophanis Scriptoribus, esse petendam. Deinde Egesipum, vetustissimū historicum, affirmare: Iosephum, multa, & præclara facinora, insignesque sui temporis euentus, partim obliuione, & incuria: partim data opera, scientem,

ac vo-

ac volentem, præteriisse. Tacuit enim Christi resurrectionem: descensum Spiritus sancti, in Apostolos: ac multa alia. Tertiò, Chalcidium Platonicum, (cuius testimonio superius vñ sumus) Magorum aduentus, adorationis, & munerum, & ortus syderis meminisse: Macrobius prætereà, ac Dionem Cassium Nicænū, biennes ab Herode Infantes, occisos, commemorasse: Hic quidem in vita Augusti: ille verò, libro Saturnaliū. 2. c. 4. Cùm enim facetias, & apophlegmata Augusti referret: incidit in historiam bimulorum Infantium, quos Herodes in Syria (cuius pars est Iudæa) occiderat: inter quos, proprium quoque filium sustulit. Quod cùm audisset Augustus: Macrobius, eum dixisse, tradit. Præstat Herodis esse porcum: quām filiū. Nam cùm esset proselytus: iudæorum ritū, à porcini abstinebat. Hæc eadem refert Philo Annianus. Tanta verò sæuitia, & crudelitate, Herodes, nō solùm in Iudæos: sed in suos quoque, griffatus est: vt vxorem propriam, Marianem nomine, nobilitate, & pulchritudine insignem: & duos, quos ex ea filios suscepérat, Alexádrum, ac Aristobolum: & quinto ante mortem

suam die , tertium quoque filium Anti-
 patrum, intemperie : quē , habebat in vin-
 culis. Excogitauit prētereā, facinus inau-
 ditum. Captos enim totius Regni viros
 nobilissimos, & in vincula cōiectos: præ-
 cepit sorori Salome , eiūsque marito A-
 lexe , vt simul ac infœlicem animam ef-
 flasset , interficeret : vt vel inuiti , Iudei ,
 eius funus lachrymis prosequerentur.
 Iugulauit etiā affinem suum Ioseppum ,
 vitum innocentissimū. Ob quas crude-
 litates (quas Iosephus lib. 17. antiq. c. 10.
 & lib. 18. c. 11. & de bello Iudaico lib. 2. c.
 21. prosequutus est) sed potissimum ob
 necem Innocentium) vt Eusebius censet
 lib. 1. Historiæ Eccles. c. 8.) vermicibus sca-
 tens, disenteria , podagra , & incredibili
 dolorū vi obrutus , miserè extinctus est.
 Philo author est , ab eodē sublatum esse
 Senatum illum supremum Iudæorum:
 quem ipsi , *Sanhedrim* , vocant: quod etiam
 sub antiquis Regibus olim , & mox sub
 Ducibus , & pontificibus , viguerat: occi-
 sōsque Senatores illos illustres , ac præ-
 claros: & eorum loco , profelytos quosdā
 subrogatos: quorum Princeps fuit Ama-
 leus , quidam profelytus : propter eximiā
 sacrarum literarum cognitionem , ei mu-
 neri

neri præfctus. Quàm verò infirmum sit, hoc Parabaptistarum argumentū: quàm porro futile, & indoctum: probant multa alia, quæ Christo nato acciderunt insignia, atque preclara, & memoratu digna, quæ à prophanis Auctōribus, obliterata, & posterorum memoriæ subtracta sunt. Imò verò si quis prophanas Historias, & Æthnicoſ Auctores consideret: videbit, communiquadā Gentilium Autorū conſpiratione, & conſensu, res à Christianis gestas, præteriri. Quòd ſi quis forſan, aliqua ineuitabili ratione rerum noſtrarum meminit: trāſcursim, properanter, & parcè nimis eas attingi. Diuinus ſiquidem Epiphanius, in Zacharia Author est (quem ſequutus eſt Nicephorus lib. i.c.14.) citca hæc tempora. Herodem, maxima cōtentione, & ſtudio, Ioannem Baptiſtam extingueſ voluiſſe: cùm or- tuſ eius miracula, indies fama increbreſcente, vulgarentur: Atque eam ob cauſam diuam Elisabeth, cum ſacra prole (quæ annum tantū & dimidium ea tē- peſtate agebat) profugā, in antro & ſpel- læo quodam, cum filio latitaffe: quam cùm Zacharias coniux, noluiffet pro- dere: ab atrocifſimo Tyranno Herode,

inter tēplum & altare , ea propter occi-
sus est. Quid commemorem virginem,
puellum sacris papillis admotum , vlnis
gestantē, Augusto à Sybilla in Sole ostē-
sum,iussūmque adorare Infantem, Deū?
Cuius Historiæ tamē, Eutropius, & Oro-
sius li. 6. c. 16. & Innocētius Papa Serm.
3. in fériis diei natalitij Christi Domini,
& Seruatoris nostri , meminerūt? Quid
quòd circa hæc tempora Oracula defe-
cisse, Plutarchus libello de defectu Ora-
culorum, ingenuè profitetur ? Narrat e-
nīm inter alia, Epitherse , Emilianī Rhei-
toris patre, in Italiam contendente : cir-
ca Echinidas Insulas, vento quiescente,
& naue fluitante , ad Paxas deuenisse:
vnde auditam esse vocem , Thamum,in
clamantis. Erat autem is, Aegyptius, na-
uigij gubernator: cuius nomen, pauci ex
vectoribus nouerāt. Cùm quæ tertio vox
illa , Thamum in clamasset : respondisse
tandem Aegyptium, & quid vellet, per-
contatum: audisse. Cùm ad Palodes per-
ueneris: Pana magnum , mortuum esse,
nuntiabis. Cùm igitur è peruentū esset,
ventūsque quieuiisset: Thamum ex pup-
pi,in terram exclamasse, vt audierat: Pa-
na magnum, mortuū esse: sequutūmque
esse,

esse, non vnius, sed multorum gemitum, admiratione mixtum. Addam̄ verò Plutarchi verba. Et quòd multi (inquit) adfuissent, famam celeriter Romam dissipatam esse: Thamūmque à Tiberio Cæsare accersitum. Tiberium verò, usque adeò huic rei fidem adhibuisse: ut quis ille Pan esset, interrogaret, & quæreret &c. Igitur indocti Parabaptistæ, frustra nobis & indoctè obiiciunt, Iosephi, & prophætorum Scriptorum silentium de nostris rebus. Nam quod addunt, non esse verisimile, tam præclaram, & illustrē Historiam, tres alios Euangelistas, omis- siros: æquè est indoctum, & impudens argumentum. Nam eodem pæcto probari potest, Christum, minimè Lazarum quatriduò post mortem, vitæ restituisse: quam tamen Historiam, ipsi recipiūt. Nam tantùm Ioannes eius meminit. Verum hæc alibi fusiùs.

PL *Vox in Rama audita est: ploratus, & ullulatus multus. Rachel plorans, &c.* Sunt qui putent, hunc locum, per accommodationem, à beato Matthæo citari: eo pæcto, quo superiùs. n. 18. Scripturas, per accommodationem impleri diximus. Putant enim, sermonem esse de populo Is-

raëlitico, in captiuitatem abducto. Nam Rachel, mater fuit Benjamin: cuius tribus censebatur, cum tribu Iuda: cuius partes, sequuta est in diuisione, & schismate Regni, sub Roboam: & auia Ephraïm, quo nomine diuinæ literæ, decem alias tribus intelligunt. Sed non dubium est, ca. illo. 21. Hieremiæ, vnde testimonium hoc sumptum est: agi de aduentu, & ortu Saluatoris, & de vocatione Gentium, & de libertate generis humani. Hæc verò tanta sacramenta sub typo populi Israëlitici, in captiuitatem abducti, propounderuntur. Cùm enim prædixisset lætitiam, & iucunditatem, longo postliminio in patriam redeuntium, ex captiuitate Babylonica: inquietens, *Tunc lætabitur virgo in choro: iuvenes, & senes, simul: conuertam luctum eorum, in gaudium, &c.* insinuat, tempore veræ libertatis, assertæ per Christum (cuius typus fuit liberatio à seruitute, & captiuitate Babylonica) futuram Bethlehemiticorum Infantium cædē: audiendamque esse vocem matronarum lugentium, ob extinctos puellos, ei similem, quam edebant, cum sui filij, captiui Babylonem abducerentur. Itaque commode prophetia hæc, de duplice matronarum

natum luctu, intelligi potest: sicut illa,
 Ex Aegypto vocavi filium meum: de
 vocatione populi Israëlitici ex Aegypto,
 & de reuocatione Christi. Vox, inquit, in
 Rama. Interpres Matthæi reliquit vo-
 cem ipsam Hebraicam, quæ propria vr-
 bis Rama, Sortis Benjamin, propè Ga-
 baa, esse potest: (ut constat Iosue. 18. &
 Iudic. 19.) quam reædificauit Baasa, Rex
 Israël: & appellatiua, à radice רָמָה rum:
 id est, exaltare, &c. inde Rama, id est, ex-
 celsa. Vnde, sensus est. Vox longè, lateq;
 edita, in excelso audita est. Ploratus, &
 vulnus multus. Hebraica habent. Plan-
 etus, & fletus amaritudinum: id est, ama-
 rissimus: quod eleganter per vocem il-
 lam, multus, explicatum est. Rachel, plo-
 rans filios suos. Vsurpatur verò hoc loco
 Rachel, Methonimicos: pro agro Beth-
 lehemitico. Ponitur enim contentum
 pro continente. Nam Gen. 35. in agro illo
 sepulta traditur: cùm edito filio suo Ben-
 noni, naturæ concessisset. *Et noluit consola-
 ri, quia non sunt.* Hebraica habent: quia nō
 est: scilicet, nec unus quidem superstes.

22. *Defuncto Herode, ecce, Angelus Domini apparuit in somnis, &c.)* Josephus lib. 17.
 antiquit. cap. 10. auctor est, Herodem re-

gnasse annis septē & triginta: cuius Regni anno. 32. natus est Christus. Cumq; paucis post ortum suum sacratissimum, aut diebus, aut mensibus, in Aegyptum concesserit: pars est, quinquennem, eum Iudæam reuertisse. *Audiens, quod Arche, laus regnasset, &c.* Archelai meminimus supra. num. i.

23 *Vt adimpleretur, quod dictum est per Prophetas: quoniam Nazareus vocabitur.)* Cōstanter legunt vniuersi, Græci, ac Latini codices, per Prophetas: plurali numero. Nec putandum est, Prophetas aliquos obsoletos citare Matthæum hoc loco: quorum libri, aut temporum, aut bellorum iniuria interciderint: vti censet Chrysostomus. Nec rursus Prophetarū nomine, intellexisse Matthæum, tertiae classis Prophetas: vt vult Osiander: cui antiquum est, sua somnia, atque figmenta, pro diuinis fermè Oraculis, simplicibus obtrudere: idque quam arroganter? Triplex namque ferunt esse in diuinis litteris, Prophetarum genus: Eorum primum, qui, cùm res postulabat, Deum consulebant: illosque sacratissimum numen, Suis Oraculis, & Responsis, dignabatur. Hos Hebræi, priores Prophetas

tas appellant : in quorum numerum reponunt Mosem, Samuëlem, atque alios, quos prisca ætas , Videntes nuncupauit. Secundum, eorum, qui quamuis nō haberent tam familiaria diuina Oracula, ut illius Responsis vterentur , cum vellet: per eos tamen , quando erat opus, Deus suum populum admonebat. Hos vocant Hebræi , posteriores Prophetas: Eliseum, Isaïam, & cæteros. Tertium, illorum , qui et si ipsi non essent clari vaticinio : sacrorum tamē Vatum prædictiones, & Vaticinia, peculiari Dei spiritu interpretabātur. Hos Paulus ad Cor. vocat Prophetas Hebræi verò ; Prophetarum filios, eosdem appellant. Hos vult Ofian- der , Prophetarum nomine , hoc loco Matthæum intellexisse : sed falso. Nam si hi (ex loco illo Isaï. II. *Et flos de radice eius ascendet*) intellexerunt, Messiam, Nazareum vocandum : profectò nunquam Hebræorum Senatus , tam confidenter Nicodemum, Christo fauentem , repulisset: inquiens. Scrutare Scripturas : & vide, quoniam à Galilæa , Propheta non surrexit. Nec Nathanaël Ioan. I. mirabundus, dixisset. A Nazareth, potest aliquid boni esse? Non enim rationi est cōfenta

sentaneum: Hebr̄orum doctissimos, has
 sacrorum Interpretum expositiones, &
 sententias, ignorasse. Quapropter, in
 primis, obseruandum est: particulam il-
 lam, vt, (quemadmodum superius cap. I.
 obseruauimus nū. 46.) hoc loco, non di-
 cere causam finalem, sed rerum conse-
 quentiam: & quod apte, Nazarei nōmē,
 iuxta Scripturas, Christo conueniat, &
 quadret. Nec aspernandum esse, nōmen
 Nazareni: et si Iudæi imperiti, & diuina-
 rum Vaticinationum ignari, illud ludi-
 briò habeant. Deinde, quod nōmen vr-
 bis Nazareth, sacris in literis veteris te-
 stamenti, non inuenitur: siue ob loci ob-
 scuritatem: siue quod labente ætate, no-
 men mutauerit. Vnde non satis constat,
 quibus literis, Hebraicè scribatur.
 Quod si per literā Zaim, scribēdūm sit:
 tūc, נֹזְרִי Nozri, nōmen, hoc est Nazarei, si-
 ue Nazareni, idem erit quod sanctus, aut
 separatus, & consecratus Domino, aut
 coronatus. Sanctum verò futurum, Mef-
 siam: vniuersæ diuinæ literæ testantur:
 præsertim, Danie. 9. Qui verò hanc Or-
 tographiam sequuntur, putant, Euange-
 listam allusisse ad verba Angeli: qui de
 Samsonē sermonem instituens Iudic. 13.
 ita inquit. Quia Nazareus (Hebraicè

נָזִיר Nezir,) Dei puer erit iste. Id enim de Sansone dici ad literam: mysticè vero, de Christo, qui verus est Samson. Atque eam ob causam (dicunt) Matthæum dixisse, per Prophetas: quod liber Iudicum, opus sit Prophetarum, sibi inuicem succendentium. Quod si his obiicias titulum Crucis Christi, quod extat hodie Romæ, in Aede Diuæ Crucis in Hierusalem: ubi nomen Nozri, non per Zaim, sed per Zadic, scriptum est. Respondent, non esse sumendum argumentum ex Ortographia, quam faber quispiam lignarius, rusticus, & ineruditus, rudibus & impolitis literis, titulo Crucis inscripsit (ut solent hodie tituli scribi, qui eorum tergo affiguntur, qui Romæ publicè vapulant: grandibus quidem, sed deformibus, ac impolitis literis.) Cæterum (ut ingenuè fatear) ingeniosa hæc videtur, & pia: & prætereà, probabilia. Verum ego pro comperto habeo, rectam Ortographiam esse illam, quā modò conservat titulus Crucis: licet rudibus, & impolitis literis, ligno incisus: quem nos Romæ, nō videre cominùs, sed eminùs adorare meruimus. Habet autem in huc modū. יְהוּא חַנְצֵרִי מֶלֶךְ Ichosuah hanozri melech

melech ha Iehudim. Id est: Iesus Nazarenus, Rex Iudæorum. Vbi vox, Nozri, per literam Sadic, siue Zadic (quam alij proferrunt *g.*) descripta est. *Quò* fit, ut viri docti suspicentur, urbem Nazareth, in lib. Iosue, vocari Hasor, vel Henasor: aliquot poste à literis, aut subtractis, aut mutatis. Nam vrbshæc, in tribu Neptalim, sita est: & habet illius nomen, in medio dictio[n]is, literam, Sadic, per quam, Christi cognomen, non solum in Crucis titulo: verùm in priscorum quoq; Rabbinorum Commentariis, scribitur. Iuxta quam Orthographiam, apertissimè Nazarei nomen tribuitur Christo Isaï. II. quo loci nos legimus, *Et flos de radice eius ascendet.* Nam pro flore, Hebraica habent vocem נֵסֶר Neser: quæ significat florem: vel potius (ut Symmachus, & Theodotion, & Aquila, vertūt: teste Hieronymo) germen. Quo etiam pacto, eandem vocem vertit ipse Hieronymus, Isaï. 6. Germen plantationis meæ: opus manus meæ, &c. Et Danie. 11. Et stabit de germine radicū eius, plantatio, &c. Est enim Neser (ut vult Rabbi Dauid Kimhi) plāta nouella, & tenera. *Quòd* verò locus ille Isaï. 11. loquatur de Christo: satis often

ostendit Chaldaicus Paraphrastes: qui eūdem, ita reddidit. Et egredietur Rex, de filiis Isaii. & Christus, de filiis filiorum eius crescat. Et recte quidem, vocatus est Christus, planta tenera: crescens in dies flos, aut germen: quod absque vlla corruptione, ex Virgine intacta ortus fuerit, vt planta è terra: quodque nullam habens peccati vetustatem, germinis, aut horis in morem floruerit, atque viruerit: odoris suauissimi fragrantiam, longè, lateque spargens. Quapropter, sicut teste hoc Vaticinio insinuatum est, Christum in Bethlehem nasciturum: cùm dicitur. *Egredietur virga de radice Ies-je.* Ita etiam insinuatum est, eum, in urbe Nazareth, educandum: cum dicitur. Et Neser, id est flos, de radice eius ascendet. Diuus autem Hieronymus, hūc eūdem locum Isaiæ versans in suis Commentariis: ingenuè fatetur, Hebræorum doctissimos arbitrari, ex hoc loco sumptum esse, quod in Euangelio Matthæi omnes querunt Ecclesiastici nec inueniunt, vbi scriptum fit: *Quoniam Nazareus vocabitur* (et si eorum sententiam, ipse magis probet: qui Nazarei nomen, per, Zain, describendum, censem. Cæterum

Cæterum, quamquam hoctantum Isaïæ loco, Christus vocatus sit Neser: Evangelista tamen citauit Prophetas, quod alij Prophetæ, nomine idem significante, Christum appellauerint: nempe *nōn* Semah: quam vocem, germen interpretatus est Hieronymus, Hierem. 13. & 33. & Isai. 4. Loquuntur autem his in locis Hieremias, & Isaias, de Christo: quæ vocant, germen. Et Zachariæ. 3. quod loci nos legimus: Ecce, cgo adducam seruum meum Orientē: Et c. 6. Eccce vir Oriens, nomen eius (quibus in locis, cunctis cōsentientibus, de Christo sermo est) pronomine, Orientis, vox (*Semach*) collocata est: quæ magis significat germen. Poteſt etiam verti *neser*, à radice נֶסֶר custos: quemadmodū vertit eam, Interpres Job. *Quid faciam tibi, o custos hominum?* Poteſt etiam verti deſtructor, aut deuastator: nam, Nasar, & feruare, & vastare, significat. Vtrumque autem mirificè conuenit Christo, & deuastare, & deſtruere peccatum (ſicut Isai. 8. ſcriptum eſt. Voca nomen eius, ſpolia detrahere &c.) & homines custodire, atque feruare: vnde & Ieſu, ſiue Saluatoris nomen, illi inditum eſt.

*Laus & imperium Christo in aeternum
& ultra, Amen.*

LOCI DIVINARVM
literarum libello hoc o-
biter explicati.

*Qui egrediebatur & non reuertebatur donec sic-
carentur aquæ. c. 8. pagina. 85. virgóque pul-
cherrima. c. 9. p. 83. vt coniectoris veritas pro-
baretur.* Gene.
c. 40. p. 82.

*Et perrexit puella vt vocaret matrem. Exod. 2. Exod.
p. 85. Ego Dominus qui apparui Abraham &
Isaach & Iacob in Deo omnipotente &c. c.
6. p. 79. os non comminuetis ex eo.* c. 12. p.

Orietur stella ex Iacob &c. numer. 24. p. III. Num.

Hæ sunt generationes Phares. Ruth. 4. p. 39. Ruth.

Visque in diem mortis suæ. 2. Reg. 6. p. 85. Reg.


*De Phadaia nati sunt Zorobabel & Semei. 1. Pa-
ra. 3.* Para.
p. 33. & 34. & 35.

*Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substan-
tia mea tāquā nihilū ante. Psal. 38. p. 60. vani
filij hominū mendaces filij hominum in statervis,
&c. psal. 61. p. 63. Donec ponā inimicos tuos.
Psal. 109. p. 85.*

*Ecce virgo concipiet. Isai. 7. p. 83. Sume tibi li-
bram grandem &c. Isai. 8. p. 132. & 133. Cu-
ius imperiū super humerū ei⁹. Isai. 9. p. 72. habi-
tabit lupus cū agno & pardus cum hedo accu-*

- babit. *Isai.* 11. p. 148. vox dicentis clama, &c. di-
 xi, quid clamabo? Omnis caro fœnum &c. *Isa.*
 40. p. 63. Egredietur ut virgultum coram eo.
Isa. 53. p. 72. Generationem eius quis enarrat
 bit. *Isai.* 53. p. 15. vocabitur tibi nomen nouum.
Isa. 62. p. 77.
Iere. Scribe virum istum sterilem &c. *Ier.* 22. p. 31.
Dani. & 32.
 Ecce quasi statua una grandis &c. *Dani.* 2. p. 57.
 & 58.
 Videbam & ecce arbor in medio terræ, &c. *Dani.*
 4. p. 117.
Osee. Ex Egypto vocavi filium meum. *Ose.* 11. p. 153. &
 146.
Mich. Et tu Bethlehem Ephrata. &c. *Mich.* 5. p. 118.
Lucas. Qui fuit Heli. *Luc.* 3. p. 45.
 Dico Christum Iesum ministrum fuisse circunci-
Paul. sionis &c. *Rom.* 15. p. 128. & 129.

INDEX



INDEX RERVM ET SENTENTIARUM QUÆ HOC LIBELLO
CONTINENTUR.

A

-  ARONIS filij, Moysi attributi. pagina
36.
*Aditione, & subtractione, & mutatione
literarum, multa archana diuinæ li-
tera indicant.* p.14
- Adoptio Hebreis etiam ante legem & alijs gentibus fa-
miliariis. p.39
- Adorare quid. p.140
- Ægypti non fuerunt expertes diuinæ incarnationis. p.
Alma tribus tantum in locis articulum habet prepo-
situum. p.83
- Amoris proprij tenebre. p.140
- Amraphael Rex Senaar, quis. p.80
- Anabaptistarum error.
- Annae sacratissima monogamia. p.55
- Annius produxit in lucem libellos quosdam suppositi-
tios & pseudepigraphos. p.25. & 25
- Annotatores Complutenses. p.61.
- Aphricani sententia. p.40. cur tantum probabilis & no-
certa. p.44
- Apollinis oraculum. p.114.
- Apollonius Tianaus Magus. p.95

INDEX.

- Ante: antequam priusquam, quomodo diuinis in literis
vsurpentur.* p.73
- Antipophora.* p.7. & 73.
- Articuli prepositiui vis & ratio.* p.83
- eum habet vox Primogenitus Matth. 1. & vox na-
tus. Matth. 2.*
- Aram à quo sic dicta.* p.103
- Augustinus censet nulla diuina lege virum obligatum
fuisse ad prodendam vxoris impudicitiam.* p.74
- Auctoris opinio media inter antiquos & recentiores*
p.48

B

- B**asilius magos, id est, silentes interpretatur. p.93.
- nomen Iesu duci putat à verbo ιέω quod est me-
deri.* p.81
- Beatitudinis & celestis Primogenitura tituli duo. p.10
- Benedicti Aiae Montani sententia.* p.42
- Binomij Iese. p.23. & Iechonias. p.31. & Abiud.* p.36
- Bonis virtus non honori sed inuidiae est apud imprebos.*
p.127
- Booz unus non plures.* p.21
- Breue est quod finem habet.* p.59
- Brigitae testimonium.* p.27

C

- Cani Episcopi Canariensis sententia. 27. eius rationes
& testimonia dissolui possunt. p. 28. cognoscendi
verbum quid impertet.* p.84
- Chalcidij testimonium de Christo.* p.97. & 117.
- Chaldaeorum observatores. p. 108. Magorum &
Hebreos*

INDEX.

- Hebraorum patres.* p. 97. vnde Christi orituri cognitionem habere potuerint. p. 110
- Catholici Euangeli nomine quid intelligent.* p. 6
- Christus ubi natus? & quo tempore? & sub quo Herode.*
p. 88. & 89. natus in spelunca vrbi propinquia, qua erat in pradiolo Mariae Salomae. p. 125. in qua non est à Magis inuentus. p. 124. cuius ortum diuino afflatum Magi cognouerunt. p. 116. & p. 110. quinquennis Iudea ex Egypto reuertitur. p. 170. datus Iudeis quidem ex iustitia, gentibus vero, ex misericordia. p. 128. eius typus Dauid. p. 18. & tres Iesus appellati. p. 78. in eius genealogia tres reges omisi. p. 23.
- Colosi natura.* p. 57
- Concordatur locus de Zorobabele.* p. 34
- Concordant Matth. & Lucas. à p. 36. vsque ad.* p. 55
- Constantia & fides verbi Dei.* p. 62
- Cōsolatur nos nomen Primogeniti, Christo tributum.*
p. 86
- Cur Deus Virginem despōnsari noluerit.* p. 70
- Cur sacra ipsa virgo oblationem pauperū templo intulerit.* p. 107
- Curas suas pīj Deo permittunt.* p. 75

D

- Dauid cur precedat Abraham.* p. 17. typus Christi. p. 18.
diuina reuelatione didicit Salomonis posteritatem
septima generatione defuturam. p. 24
- Dauid & Golias consanguinei.* p. 22
- Dēmones à cognoscenda diuī Virginis perpetua virginitate arceri potuerunt.* p. 70
- Deus liberaliter omnia largitus in proroganda vita
meta, parcus quodammodo.* p. 60. Moabi'us pepercit

INDEX.

- propter Ruth p. 22. eius nomen sacro-sanctum, Ie-
bouah.p.79.cur diuam Virginem desponsari volue-
rit. p.70
- Dei genitricis titulus omnes Mariae laudes amplectitur.
p.67
- Diuinæ literæ quos pauperes appellant.p.6. quid intel-
ligant nomine libri.p.9. & generationis.p.12. & fœ-
ni.p.65. & Primogeniti.p.31. & 85. & Orientis.
p.104. & patris: quod nomen latissimè in
eis pater. p. 38. & 34. Vnum pro primo, p. 50. &
vocari pro esse usurpant. p.69
- Discordia inter Mat:haum & Lucam tam ab antiquis
quam à recētioribus commode dissoluituram.p.37.
vsque ad.55.
- Diuinæ sapientie Echonomia in priori Christi aduen-
tu. p.71
- Donec particula quid significet. p.85
- Dor Hebreæ vox.i. generalio que pacto usurpetur.p.14

E

- Ecce, ostendit nonnunquam rerum consequentiam &
propinquitatem.p.115. & 116.
- Echonomia diuinæ sapientie in priori Christi aduentu.
p.71
- Eli, Heliachim & Ioaichim nomina Synonima. p.45
- Error aut temeritas Pagnini , viri aliqui pij & reli-
giofi. p.20
- Error & blasphemia Anabaptistarum.
- Error eorum qui censent Natham non esse filium Da-
uidis naturalem.
- Error in libris Eusebianis.i. lib. historiæ Ecclesiast ca.6.
quem Nicolaus Zegerus obseruanit. p.41
- Eliabet cum puerlo Ioanne in antre latet,p.

Esdras

INDEX.

- Esdras solus non seruat Orthographiam Galatini in
nomine Iosedech. p.78
- Ethimon nominis dulcissimi Iesu. p.76. & 81
- Euangelium quid significet. p.1. Hebraicū. Bbasar ex-
pli cat. p.2. & allusionem habet ad Christi incarna-
tionem p. 2. & 3. ei quadrant res Græca voce signi-
ficatae. p.3. illud primum omnium Christus pauperi-
bus annuntiat. p. 5. quid eo nomine Catholici in-
telligent p.6. Euangeliū inuidiam , pulchra antipo-
phora Paulus eleuat.p.6. & 7. promulgatione nouā
promissione vetustissimum. p. 8. iungit ultima pri-
mis , & per methonimiam appellatur lex noua.
ibidem.
- Extra Ecclesiam non est Christus. p.137.

F

- Fæmineum, aut Masculæum genus Hebræi, neutro sub-
stituunt, quo illi carent. p.120
- Filiū Aaronis Mōsi attributi. p.36
- Filiū Merob, Micholi attributi, ibidem.
- Filiū appellantur nepotes, generi & posteri.p.35. & 46.
- Filiū Salomonis septima generatione euersti & pœnitus
excisi. p 24. & 25. & 26. & 27.

G

- Genealogiis Iesu Christi difficultates , toto lib. primo
explicantur sed potissimum a.p. 17. usque ad 55. du-
citur autem eius genealogia ex gentibus, sed fideli-
bus p.19. & 20. & 21.

Genealogia interminata ad quos pertineat .p.55. & 56.
Generationis nomine quid Hebrei significant. p.12. quā

INDEX.

- ipsi vocibus Dor. & Tholiloth explicant, & quid v-
 traque significet à. p. 12. vsque ad 17. Tholdoth.
 generationis nomen sex notulis scribitur Gen. 2. ho-
 mine integro, sed eo lapsō amittit literam pau. qua
 illi non restituitur, nisi Ruth. 4. & quare. p. 13
 Genetliacis non faret noui syderis ortus. p. 117
 Golias & David consanguinei. p. 22
 Grecismus in vtero habere. p. 74

H

- Hebreorum sententia de Iechonia. p. 32. quo pacto con-
 cordent cum Ageo Ezra & Naenia: locum. i. par. 3.
 p. 34. quo pacto filios adoptare sint soliti. 39. qui mos
 nunc etiam inter eos seruetur quando nomina pro-
 pria habent duas aut tres literas nominis ineffabi-
 lis. p. 45. vnum pro primo usurpat & vnigenitū pro
 primogenito, & contra. p. 50. & 51
 Heli, Eliachim, & Ieochim nomina synonima. p. 45
 Herodes sub quo Christus natus est, qui fuerit. p. 89. quā-
 diu regnauerit. p. 70
 Herodes tres in novo Testamento, & qui. p. 91. & 92
 Hieronymi & Theophilacti sententia quod teneretur
 vir coniugis impudicitiam prodere. 74. & 75
 Hispalis laus. p. 119
 Hyperbole. p. 119
 Hypocrite multi hodie. p. 130

- Jacob pater Diui Ioseph, germanus frater Heli patris
 beatae Mariae. p. 49. & 50
 Iactantia nobilitatis vana. p. 61
 Iehouah

INDEX.

- Iehouah nomen ineffabile. p. 62. & 63. & 76. & 77. &
 78. & 79.
 Ioachim, Eliachim & Heli nomina synonima. p. 45
 Lechonias binomius, genuit Salathielem. p. 32
 Plesse binomius. p. 23
 Iesu dulcissimi nominis Ethimē. p. 76. typi. 77. & 78. Or-
 tbographia buius nominis. ibidem. illi additur lite-
 ra. sim. i. clementia. dicitur à nomine Iehouah.
 ut quidam volunt. p. 79. & 80. sed nomen ineffabi-
 le non recipit literam haim, quam habet nomen Ie-
 sus. p. 81. vnde & apud Gracos, & apud Latinos cō-
 pendiariè scribitur cum he. sic. I H̄ S. p. 78.
 Basilius dicit hoc nomen a verbo iāco quod est
 mederi. 81.
 Ioseph sacratissimi virginitas & etas quando Almam
 virginē duxit. p. 55. eam duxit Iure propinquitatis.
 p. 47. omnes homines suæ etatiss virtute & sancti-
 tate, superauit. p. 67. inter eum & virginem fuit ve-
 rum matrimonium p. 69. eius insignis prudentia &
 clementia. p. 75
 Iosias genuit Ioachin. p. 30
 Iober eius amici reges exiguisue Thoparche, quales
 habuit plurimos Oriens. p. 100. & 119
 Iudeis ex iustitia datus Christus. p. 128
 Iude incestū qui accusent ex patrib us, & qui excusent.
 p. 19.
 Ironia. p. 119
 In prepositio pro ante. p. 30

L.

- Lamed litera vſus. p. 132
 Libri nomine quid diuina litera significant. p. 9.

INDEX.

- Libellus de legali Christi sacerdotio fictitius & fabul
sus.* p.86
- Lectio illius loci, ab imatu & infra secundum tempus
quod exquisierat à Magis.* p.160.
- Locus & tempus nativitatis Christi sacris vaticiniis cō
forme.* - p.88
- Locos diuinarum literarum obiter expositos, vide in
proprio indiculo.*

M

- Magorum nomen cur infame.* p.92. quid significet. 93.
eorum dogmata & viuendi ratio. 94. paulatim
 ad malas artes deflexerunt. *ibidem Magia duplex*
naturalis & superstitionis. p. 94. *superstitiosi pro*
fessores. p. 94. & 95. *Pithagoras, Democritus, &*
Apollonius Taneus Magi superstitionis. 95. *Magiam*
qui non didicisset non poterat regno Orientis pra
fici. p.96
- Magi in magno honore habiti* p.96. *duo fratres Magi*
Persie regnum inuadunt, & septenio occupat. p.96.
- Magorum & Chaldaeorum nomina confusa & quare.*
 p.97. *qui Christum quasierunt fuerunt sapientes &*
reges exigui, quod probant multa sanctorum patrū
testimonia. 98. & 99. *die decimo tertio Bethlehem*
appulerunt. 104. & 105. & 106. *Christi ortum diui*
no afflata intellexerunt. p.110. *non eum inuenerunt*
in antro in quo fuerat natus. p.124
- Matharea locus prope Cairum, ubi Christus infans*
exulauit. p.157
- Maria diu Ioseph nubit Iure propinquitatis.* p.47. *in*
ter quos fuit verum matrimonium. 69. *cur fuerit*
desponsata. 70. *erāt patruelis & cōsobrini.* 49. *vsque*
ad p.

INDEX.

- ad p. 55. vauerant virginitatem. 62. Dei genitricis titulus vniuersas beata virginis laudes. amplectitur.
 67. eius priuilegia. 68.
 Micholi filij sororis sue Merob attributi. p. 36
 Iacobitis cur Deus pepercit. p. 22
 Mortis mulier, vita parum homini tributum. p. 60.
 Mosi filij Aaronis attributi. p. 36
 Mundi insignis vanitas, statua Nabuchodonosericam
 millima. p. 57
 Mundus etsi per se esset aeternus nobis est instantaneus. p. 59
 Mutatione, subtractione, & additione literarum multa
 sacramenta diuina litera indicant. p. 14
 Multi scire cupiunt non ut boni sint, sed ut direcant.
 p. 139.

N

- Nabucodonosoris statua mundo similis. p. 57
 Nathan, non adoptivus sed naturalis & legitimus filius
 Dauid. p. 50. eius posteri extincta Salomonica poste-
 ritate, regno succedunt. p. 24
 Nazarei nomen. p.
 Neutro genere carent Hebrei. p. 120
 Nomen dulcissimum Iesu a. p. 76. usque ad p. 31
 Nomina diuina Iehouah El, & Saddei. p. 79.
 Nomina sapientium gentium diuersarum. p. 97
 Noui syderis ortus salutaris qui Genethiacis non fauer.
 p. 117.
 Numerus sanctorum Innocentium quatuordecim mil-
 lia. p. 106
 Numerus pluralis pro singulari. p. 122
 Osius

INDEX.

O

- Osiandri argumenta futilia.p.43. eius impudentia.51.
arrogantia & imperitia 149.
- Opinio antiquorum patrum concordantium Matthaeum
& Lucam.a.p.37.visque ad p.44
- Opinio recentiorum eadem de re.a.p.44. vsque ad 48.
- Opinio auctoris eadem de re.a.p.48. vsque ad p.55.
- Oraculum Apollinis. p.114
- Oracula circa Christi ortum defecerant. p.166
- Oriens diuinis in literis quid.p.104.&. p.176

P

- Pagnini error viri alioqui & p̄j & religiosi. p.20
- Periphrasis Mefiae. p.18
- Philonis Aniani libri supposititij.p.25. multa continent
falsa. 28.eius de Dauidis posteritate sententia. 24.
& de Iechonia.32.
- Platonis sententia. p.57
- Pleonasmos. p.141
- Plurale pro singulari. p.122
- Primogenitus pro vnigenito & contra. p. 50. quinam
sint Primogeniti.85.alij etate,alij dignitate.31
- Prophani auctores cōsulto res à Christianis gestas pre-
terire videntur.
- Prophetia gratia gratis data. p.114

Q

- Quinam ex patribus Iude incestum accusent , & qui-
nam excusent. p.19
- Quo

INDEX.

Quo tempore Historia Ruth acciderit, ibidem.

R

- Reges tres in Christi genealogia preteriti. p. 23
Regis ad exemplum totus componitur orbis. p. 138
Regium est diuinis parere legibus. p. 136. & Christum
quareret. p. 144
Reipublice bene institutæ facies. 127. felix illa in qua
regnant sapientes. 136. receptione multa mortales de
Deo cognouerunt. p. 115
Recentiorum de Christi genealogia sententia. p. 26
Resipiscientibus non vulgaris locus apud Christum. p. 61
Ruth historia qua etate accidit. p. 61

S

- Salmon peculiari Dei consilio vxorem duxit Rahab.
p. 21. nec sunt multi Salmones inter Salmonem &
Booz, aut contra. 21. &. 22
Sacramentum vocationis gentium incomprehensibile.
p. 128
Scripturæ sacrae Vaticinia quo pacto dicantur comple-
ta. p. 152
Scribæ non videntur mala fide tacuisse partem vatici-
nij Michæa. p. 122
Sēsus literalis duplex. p. 147. literalis & mysticus. p. 148
Septuaginta Synagoge nomina. p.
Sim litera clementiae. p. 79
Syderis noui ertus salutaris. p. 116. eius meminit Chal-
cidius. 117. non fauet Genetliacis. ibidem.
Solis retrocessio. emporie Ezechielæ incarnationis typus.
p. 109

Solui

INDEX.

- Solui possunt rationes & authoritates Cani. p. 28. &*
recentiorum. 29. Siella non fuit semper in itinere
Magorum conies, & cur illis tantū Bethlehem pro-
ficiscentibus cognita fuit. p. 123
Subiradione, mutatione & additione literarum, multa
nominisquam sacramenta diuina literæ significant.
p. 14.

T

- Tautologia ritata* p. 17
Thamar non sine fide Christi à se orituri saceros se mis-
cuit. p. 19
Titulus crucis. p. 173
Titulus Dei genitricis vniuersa Mariæ encomia com-
pletebitur. p. 67
Tituli duo cœlestis Primogenituræ homini concessi. p. 11
Typi Christi. p. 78. & 18
Tyranni & malè sibi consciij meticuloſi. p. 138
Tres reges in Christi genealogia præteriti. p. 23
Toleti vrbis regiae Ethimon. p. 13
Tholdoth Hebreæ vox quid significet. p. 15
Traducendi verbo quid Mattheus significet. p. 75
Tunc aduerbijs vñ & significatio. p. 160. & 159
Turpe apud Iudeos Originem ex gentibus ducere. p. 23

V

- Verbi Dei fides atque constantia.* p. 62
Verum matrimonium inter Diuam Virginem & Io-
seph. p. 69
Vnus pro primo. & vnigenitus pro Primogenito & con-
tra. p. 50
Vocari

INDEX.

<i>Vocari pro esse.</i>	<i>p.69.</i>
<i>Vocatio multiplex.</i>	<i>p.130</i>
<i>Vocatio diuina libera.</i>	<i>p.129</i>
<i>Vocatio tum gentium tum hominum priuata, sacramentum habet incomprehensibile.</i> p.128. <i>voces Dor, & Tholdoth.</i>	<i>p.15.</i>
<i>Vt, plerumque non dicit causam, sed rerum consequentiam.</i>	<i>p.82</i>
<i>Vallisfoleti laus.</i>	<i>p.119</i>

Z

<i>Zacharias Baptiste pater ab Herode occisus & quare.</i>	
	<i>p.165</i>
<i>Zoroaster, id est, astrorum obseruator, aut cultor.</i> p.108	
<i>Zorobabelis Ethimon.</i> p.33. <i>an fuerit Salatielis filius à.</i>	
	<i>p.33. usque ad. p.36</i>

L A V S D E O
 In æternum & ultra.
 Amen.

ERRATA
p. paginam. l. lineam designat.

*p.4.l.12.a&ione. lege a&ionem p.8.in margine. 2. Ioan.2. lege.1.
 Ioan.2.p.10.l.17.secundo. lege. secundæ. p.12.l.4. quales. lege qualis.
 p.17.l.vlti. nos. lege mos. p.21. l. 13. intermittit lege intermiti. & l.
 21. à Rahab lege. è Rahabab. p.30. l. 6. Exo.21. lege. 12.p.37.l.vlti. se-
 quenti. lege secuti. p.53.l.16. altissima. lege arctissima. p. 64. l. 14. fe-
 stinam. lege festiuam p.70.l.21. effusas. lege offusas. p. 73. erratus est
 numerus nam pro 73 est 72. pag. 94.l.vlcim. Zoroaster. lege Zoroaster. p.117.l.vlt. quem. lege quā p.112. נָהָר lege נָהָר p.132 erratus
 est numerus. pro 132 est 131. p.141.l.1. Luc. 28. lege. 18. p.159.l. 3. præ-
 stantes. l. præstantis. p.160.l. prima. ziliu. lege cœficio.*

LVGDVNI,
EX TYPOGRAPHIA
THEOBALDI ANCELIN.

M. D. LXXXIII.